

*MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81600-23*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HAECKWEMANN, ADOLF

TITLE:

COMMENTATIO IN DECIMI
JUNII JUVENALIS...

PLACE:

GREIFSWALD

DATE:

[1867]

Master Negative #

93-81600-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87J97

DZ6

Haeckermann, Adolf, b. 1819.

...Commentatio in Decimi Junii Juvenalis Satiras,
scripsit Dr. Adolph Haeckermann... Greifswald,
Kunike, [1867]

38 p. 26 cm.

At head of title: Zu der oeffentlichen pruefung
der schueler des Staedtischen gymnasiums... zu
Greifswald am 11. april 1867 laden... ein der
director und das lehrercollegium...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35

REDUCTION RATIO: 12 1/2x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 7 19 93

INITIALS SS



FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIM

Association for Information and Image Management



1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87J97
DZG

No. 12

ZU DER

OEFFENTLICHEN PRUEFUNG

DER SCHUELER

DES

STAEDTISCHEN GYMNASIUMS

UND DER DAMIT VERBUNDENEN REALSCHULE
I. ORDNUNG

ZU GREIFSWALD

AM 11. APRIL 1867

LADEN EHRERBIETIGST UND ERGEBENST EIN

DER DIRECTOR UND DAS LEHRERCOLLEGIUM.

INHALT:

- 1) COMMENTATIO IN DECIMI JUNII JUVENALIS SATIRAS. SCRIPSIT DR. ADOLPH HAECKERMANN.
- 2) SCHULNACHRICHTEN VOM DIRECTOR.

GREIFSWALD,

DRUCK DER KOENIGLICHEN UNIVERSITAETS-BUCHDRUCKEREI VON F. W. KUNKE.

1867

„Si decus Ausoniae linguae retinere studeatis,
Si cupitis recte verba Latina loqui:
Cura sit a teneris vatum cognoscere scripta;
Eloquii fontes hos sciat esse puer!“

Melanchthon.

Visum est scribendae hujus commentationis, qua more dudum recepto et praefaremur scholarum anno jam exeunte habiturum indicem una cum chronicis et invitarem ad examen sollemne propediem habendum gymnasii nostri quum propinquos et fautores quoscunque, tum scholarchas ac patronos, argumentum petere ex illorum quidem studiorum genere, quibus ante omnia a prima aetate institui debent pueri, disputare tamen de poeta quodam Latino, cujus carmina vix lectentur a tironibus. Sed neque tam arctis continetur limitibus hujusmodi scriptionum scholasticarum ratio, quippe quae non discipulorum modo verum etiam doctorem commodis inserviant, nec iis tantum aut potissimum libris, quos ut maxime accommodatos juventuti bonaeque frugis plenissimos gymnasium sibi elegit, Graecarum et Romanarum litterarum praestantia cernitur, qua tamen omnino imbuatur maturior saltem aetas necesse sit; nedum posterioris aevi causa excludatur adolescentium tractatione vel etiam notitia scriptor, ex cujus poematis, si quis operam iis navare voluerit, fructum utique percipere poterit vel uberrimum. Est is Decimus Junius Juvenalis Aquinas, quem ob implacabile mali cujusque odium ex nato animi candore morumque castitate ac severitate profectum, ob eximiam in describendo ac depingendo artem dilucidamque turpitudinum ac flagitiorum adumbrationem vere pulchreque dictis ornatam et quasi pertextam, ob dictionem modo elatam et sublimem, modo facetis salibusque refertam, denique ob indignationis versu expressae et castigationis vehementiam atque arduum ingenii impetum, quoties Lucilii instar „ense velut stricto ardens infremuit“, unum ex summis non vetustatis tantum, sed omnium temporum satirographis fuisse satis constat. Auspicatum est quodammodo communem hanc recentiorum sententiam felix faustumque illorum virorum acumen, quibus, quum ipsi summos se vates operibus perfectis omnique numero absolutis praestiterint, in poetis quoque et intelligendis et dijudicandis summa debetur auctoritas. Lessingium scimus in aureo illo libro, qui Laocoon inscribitur, aliquoties respexisse Juvenalem, quin etiam accuratius de obscuris satirae undecimae versibus 100—107 egisse, qua in re etiamsi verum ipse non reperit, recte tamen corruptum esse locum judicavit. Nec omisit Herderus Opp. XII p. 161 inter alios Romanorum satiricos, quos cantico amplectitur, ardentem laudare Juvenalem; fidem vero poetae testis probavit omni exceptione major Goetheus noster Opp. XXXVII p. 186, ubi satirae octavae versus 105—11 citantur de artificiorum rapinis, quales a Romanis consulibus per Graecas urbes factae esse narrantur. Consentientem habere virum antiquitatis inprimis

gnarum, Johannem Muellerum, qui in litteris ad fratrem datis Opp. VII p. 272 Juvenalem vel summis laudibus effert ac mirifice sese incensum esse satirarum lectione profitetur; sed loquentem faciamus ipsum: „So recht ins Herz hinein wurde ich von der Lectüre Juvenals bezaubert. Welcher Mann, wenn er sich erhebt! Wer wollte nicht gern, wie Cicero, sterben um so einen Rächer! Zitternd von dem Feuer, so er in mir entflammte, schrieb ich nur die Anfangsworte gewisser grossen Stellen, die lebenslänglich zu lesen sind, weil sie in den innersten Schatz der Menschheit, die Beute der Jahrhunderte, gehören.“ Hactenus ille; quae autem sub finem antecedentis saeculi una cum nostris laetius omnino effluerant antiquarum litterarum studia, mox in Juvenalis quoque satiras conferri coepta sunt. Fundamenta rectioris utique interpretationis jecisse censendus est Rupertius, qui primo nostri saeculi decennio Juvenalis satiras sedulo recognitas ac perpetuis illustratas commentariis edidit, licet a multis hodie nec injuria quidem vehementer castigetur. Praemissa sunt textui quum alia tum tractatio de diversa satirarum Lucilii, Horatii, Persii et Juvenalis indole deque fructu ex earum lectione percipiendo docte et intelligenter scripta: illinc transscribere huc placet breviter comprehensa, quae passim de Juvenalis et Horatii satirae diversitate perpetua comparatione disputantur. „Juvenalis saepius docentis aut declamantis partes sustinet, quam alios colloquentes inducit, hujus tamen artis Horatianae defectum compensat vividis rerum imaginibus, sententiarum veritate et gravitate dictionisque proprietate. In sententiarum nexu rerumque ordine et colloca-tione Horatius non modo negligentiam eamque gratissimam ostendit, sed summam quoque artem, quam tamen sedulo dissimulat: Juvenalis singulas quidem partes magis declamatorio more ac ordine accurate nonnunquam prius designato copulavit et alias aliis subjunxit, quam nexu artificioso inter se implicuit, sed easdem summa cum arte velut in tabula depinxit et exornavit. Exempla Horatii ad summam fere rei spectant et delibant potiora, primis tantum ac praecipuis, ut in ichnographia, lineis ductis. Eadem aptissima sunt, et non vulgares modo res ac notiones, sed subtiles quoque et philosophicas, egregie illustrant, oculis sensibusque subjiciunt et confirmant: Juvenalis errorum scelerumque imagines ardentissimis plerumque pinguissimisque coloribus adumbrat, et in his eximiam artem gravitatemque, in descriptionibus insignem rerum cognitionem, varietatem ingeniique aciem, in exemplorum delectu judicium subtile, in eorum copia exquisitam doctrinam, sed in figuris exornandis nimiam interdum curam ostendit; ita ad vivum resecat omnia, etiam turpissima, et nihil praetermittit, quod vel ad vividum odium vel ad cachinnum commovendum valere queat. Horatii genus dicendi vulgare quidem et tenue, sed tersum, naturale, elegans, purum, rebus ad vitae communis usum et consuetudinem pertinentibus aptissimum, fluens aequabiliter, prae se ferens felicissimam facilitatem, et inexplicabili quadam venustate, gratia et simplicitate conspicuum: Juvenalis doctum, acre, copiosum, pro rerum diversitate varium, et hinc modo facetum, modo grave, modo sublime, modo remissius, at nunquam humile.) Horatii versus fluunt illaborati et sine arte ac studio scripti videntur: Juvenalis majore cura expositi, numerosiores et concinniores sunt. Horatio propria est venusta urbanitas et faceta illusio: Juvenali austeritas et sarcasmus Archilochius. Juvenalis sales saepe non minus urbani sunt et faceti, quam Horatiani, et nonnunquam per totam orationem fusi ac sparsi, plerumque vero vel amari et venenati, vel ad cachinnum, non risum, movendum apti, vel obsceni. Lepidi ejus joci spectant praecipue ad vanitatem vel religionis vulgariumque de natura Deorum sententiarum, vel fabularum poëticarum, quarum deridendarum nullam praetermittit occasionem. Quod ad sententias attinet, Horatius facete, prudenter, callide et amice suadet:

Juvenalis vel graviter dissuadet, vel virus acerbitalis suae evomit, at nonnunquam inanem artis doctrinaeque ostentandae cupiditatem prodit et friget, nimis sectans orationis luxuriam et rhetorum argutias. Sententias salubribus, ad vitam bene, honeste, feliciter atque jucunde agendam et ad amorem virtutis vitiorumque odium gignendum pertinentibus, refertae sunt poëtarum illorum satirae. Omnes istae tum veritate, tum praestantia et utilitate quam maxime se commendant. Horatius tamen eas naturali quadam simplicitate, Juvenalis gravitate orationis exprimere solet.“ Subtilem porro de poëta narrationem Heinrichus, quem prae omnibus interpretibus Romano quum ingenio tum moribus simillimum fuisse constat, commentariis suis p. 16—27 praemisit; nec inelegans est aut injucunda lectu, ut de Hottingero, Koenigio, aliis taceam, quippe quorum scripta aut nancisci nequiverim aut ob temporis angustias intentius perscrutari, Mansonis disputatio de Juvenale, in Supplementis Sulzeri liberalium artium theoriae additis VI, 2 p. 294—342 proposita, nec quae a Voelckero Juvenalis ingenii ac morum imago ad vivum expressa Elberfeldiae 1851 in lucem prodit, nec Schlueteri comparatio inter Juvenalem et Persium Muetzellii ephemeridis gymnas. XV p. 241—51 inserta. Nonnihil etiam ad divulgandam satirarum famam latiusque propagandam notitiam valuisse putaverim, quod probe intellecto testimonium id esse et quasi speculum illius aevi vel fidissimum, qui Gibbonii vestigia secuti historiam labentis jam ac cadentis Romani imperii aut amplecti aut singulatim enarrare vellent, inde veluti e fonte perenni omnes deinceps hauserunt, et quo quis accuratior fuit in excerpando quoque propius in adumbranda morum corruptione ad propriam ac peculiarem Romani satirographi rationem accessit, eo magis sibi snoque incepto satisfacisse videbatur. Crevit sic in dies Aquinatis cognitio una et aestimatio, et recenseri debere illum ob multiplicem Musae suae virtutem si minus inter summos antiquitatis vates, at inter melioris certe notae scriptores, quum non solum rhetorico sermonis nitore ac splendore gravitateque sententiarum vel sublimitate, sed etiam ingenii acumine et animi ardore adeo excellat, ut verus esse ac germanus Latini nominis poëta merito dicatur, plurimi hodie consentiunt. Sed accedit insuper his omnibus aliud quiddam haud scio an gravius etiam et nostra animadversione vel maxime dignum, quod leviter tamen attigisse hic satis sit. Deprehenduntur enim apud omnes fere vel solutae vel devinctae orationis scriptores, quos argenteae quam vocant Latinitatis aetas complectitur, indicia magis minusve manifesta, conscios sibi fuisse tunc viventium animos decrepitae jam antiquitatis; scilicet naturali quadam necessitate in pejus ruere videbantur omnia, ut jam nil sperare liceret. At nusquam alias in veterum scriptis, quae tunc prodire, desperatio illa de generis humani salute tam nude exprimitur tamque diserte quam apud Nostrum: documento sint, ut alia omittam, quae in prima satira a versu 147—49 dicuntur vel potius exclamantur: „Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat Posteritas; eadem cupient facientque minores. Omne in praecipiti vitium stetit!“ Quo acris autem Juvenalis in corruptos sui temporis mores invehebatur quoque apertius aut singula numina ab avis atavisque hereditario quodam jure accepta leviter et jocosè tangebatur, aut in univ-ersum „talem deorum turbam“ (XIII, 46), qualis jam esset, acutiori satirae aculeo lacescebat, eo clarius illucescere hic dixeris post longas tenebras evangelicae doctrinae lucem. Nec mirum igitur, quod nuper admodum programmate Rottvilensi Mundingius exponendum suscepit, non exigui fuisse momenti ad christianam religionem ethicamque Satiras, ac postremum eo devenit, ut non modo eminere prae omnibus aequalibus Nostrum, sive de conscientia humana, sive de libera voluntate,

sive de vi exempli, sive de virtute disserentem, sed etiam propter sinceram talis tantaeque perniciet descriptionem facundissimum existisse testem evangelii necessario mox venturi contenderet.

Habere autem quo commendetur Juvenalis satiram, non nostra demum aetate sed jam antiquitus intelligi coeptum est. Apud veteres quidem raro mentionem fieri Aquinatis, vix quisquam demirabitur, qui quam sero vixerit quantaque fuerit post eum Romanorum scriptorum paucitas, probe secum reputaverit; ex aequalibus autem, quod unus tantum, isque familiaris, satiricum diserte laudavit, ipsius forsitan satirae acerbitati imputare licebit, quippe quae Romae Romanique nominis castigatorem publico ornare praeconio dehortaretur. Tacite nostrum a Quinctiliano X, 1, 94, ubi de Romanorum satira agitur, inter eos censerit, quos ibi ait „claros esse hodie et nominatum iri olim,“ merito conjicias; nomine autem, quem in animo habuit appellare, si Heinrichio II p. 18 fidem habere licet, consulto abstinuit, ne irascentis poetae Domitiani odium in se excitaret, cujus propinquum susceperat educandum. Unus solus Martialis, cujus epigrammata quoque permulta cum satiris communia habent, ter Juvenalem suum vel appellat vel etiam alloquitur ut amicissime sibi conjunctum. Sic epigramma VII, 24 in maledicum: „Cum Juvenale meo quae me committere tentas, Quid non audebis, perfida lingua, loqui? Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes: Thesea Pirithoi destituisset amor. Tu Siculos fratres, et majus nomen Atridas, Et Ladae poteras dissociare genus.“ Nec aliter ibid. 91: „De nostro facunde tibi Juvenalis agello Saturnalitis mittimus, ecce, nuce.“ Porro epigramma XII, 18 his incipit versibus: „Dum tu forsitan inquietus erras Clamosa, Juvenalis, in Subura, Ant collem dominae teris Dianae: Dum per limina te potentiorum Sudatrix toga ventilat, vagumque Major Coelius, et minor fatigant.“ Admodum placuisse auditoribus, quum recitarentur, satiras Suetonius vel qui auctor est vitae, „magna frequentia magnoque successu auditus“ narrat; per subsequentia autem saecula, postquam foras datae sunt in deliciis fuisse vel legendi pertaesis discimus ex Ammiano Marcellino XXVIII, 3, 14: „Quidam detestantes ut venena doctrinas, Juvenalem et Marium Maximum curatior studio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contractantes.“ Magis etiam effloruit Nostri auctoritas inde ab initiis medii quod vocant aevi, ac crevit paulatim vel intra claustrorum parietes, ita ut monachi in legendis et describendis mox etiam emendandis libris operam suam collocarent, licet in corrigendo non semper felici successu versati fuerint. Nec id mirum; nam quum adeo illum a popularibus suis defecisse cognovissent, fieri non potuit, quin talem vetustatis vituperatorem ac numinum domesticorum contemptorem veluti unum esse e suis suaeque fidei participem agnoscerent et in impugnanda paganitate tanquam socium sibi vel exoptatissimum adsciscerent. Ipsi quoque ecclesiae patrum sanctae cohorti quidquid aloës habet rigida veterum morum censura, id pro melle potius habendum esse videbatur. Non igitur dedignatus est ad illud Satirici X, 365 sq. (XIV, 314): „Nullum numen habes, si sit prudentia: sed te Nos facimus, Fortuna, deam, coeloque locamus“ provocare Lactantius div. inst. III, 29, ubi de falsa sapientia disserit. Nec oblitus est inter alios insignis Latini nominis scriptores post „mordacem sine fine Martialem“ C. Sollius Apollinaris, Arvernorum episcopus, nominare illum, qui Ovidio „consimili deinde casu Ab Vulgi tenuem strepentis auram Irati fuit histrionis exsul;“ ac deprehenduntur apud eum vestigia imitationis hand ambigua. Sic ep. II, 10: „Nos quoque subduximus ferulae manum,“ cf. sat. I, 15; ep. VII, 17: „Natus ad Euphratem,“ cf. sat. I, 104; ep. VIII, 9: „Satirum illud de satirico: Satur est, quum dicit Horatius „,ohe,““ cf. sat. VII, 62. Ut crebro in libris Macrobbii, Fulgentii, Lactantii, Servii,

Prisciani, Hieronymi notantur Satirae, sic persaepe etiam apud Johannem Sarisberniensem, van Eybium in Margarita, Vincentium Bellovacensem, Petrum Blaesensem, Honorium Augustodunensem versus afferuntur integri tamquam sententiarum columina; alliciebat enim et delectabat illius aevi scriptores id potissimum, quod tanta acerbitate Noster depravatos aequalium mores vituperavit, tantoque ardore iis majorum virtutes, ut simplicitatem ac frugalitatem, pudicitiam et pietatem, morum castitatem vitaeque integritatem ante oculos posuit, unde ei nomen Ethico a plerisque inditum est. Renascentibus autem antiquarum litterarum studiis sub initium saeculi decimi sexti, quum jam typhothetis traderentur ac sub prelum mitterentur, quae adhuc manu scripta erant, Juvenalis Satirae in primis veterum libris doctorum oculos in se convertere coeperunt. Nec diu hi contenti fuere excudendis ac multiplicandis exemplaribus, sed mox sedulo id curarunt, ut et correctior evaderet textus et una copiis doctrinae undecunque paratis illustraretur; nam ipsa operis difficultas et obscuritas interpretis vel correctoris industriam exercebat. Summos tunc patronos ac vindices Juvenalis nactus est ambos Scaligeros, ex quibus pater in Poëtica Aquinati inter satirographos palmam detulit his verbis: „Juvenalis candidus ac Satiricorum facile princeps. Nam ejus versus longe meliores quam Horatiani: sententiae acriores, phrasis apertior;“ filius in Primis Scaligeranis p. 95. ed. Tan. Fabri Satiras merito tragicas esse dixit. Necnon acre videtur esse et subtile Vavassoris iudicium in libro de ludica dictione p. 45 prolatum. Tot doctorum acumen per longam saeculorum seriem in recognoscendis et explicandis Satiris elaboravit, ut continuo exerceri hominum ingenia pergerent; nec unquam adeo oblitterata fuit Romani Satirici memoria, ut non interdum revivesceret ejus imago et recordatio vel apud eos, qui alieni essent ab antiquarum litterarum tractatione. Atqui paulo remotiorem mansisse a quotidiano elegantiorum hominum usu Aquinatis Musam haud negaverim; Horatii Sermones et Epistolas constat non tantum in doctorum manibus, sed iis quoque in deliciis fuisse, qui delectari maxime cuperent antiquae poëseos lectione, Juvenalis Satiras ab iis potissimum tractatas esse, qui aut pernoscere vellent corruptos illius aevi mores aut de ipsis Satiris vel emendandis vel illustrandis bene mereri. Fuere tamen inter recentioris aevi poëtas satiricos, qui in componendis carminibus suis Romanum imitando exprimerent; sic, ut de Boileavio Francogallo, de Menzino Italo, de Rochestero Anglo, de Alxingero (Schiller. Hor. 1796, 5, 81 sqq.) taceam, Smolletium certo scimus in satirica Londini urbis descriptione Tertiam Nostri ante oculos habuisse, Byronium in famosissimo illo libello, quo ab injuriis criticorum Musae suae primitias vindicavit et, ut Nostri verbis utar, „castigatus remordit,“ Primam pluribus locis expressisse. Porro sunt aliquot breviter salseque dicta, quae vixisse olim et vigere etiam nunc in populi ore videntur: quoties enim, qui indignationem suam scribendo edere vult, indignabundus illam misit vocem, „Difficile est satiram non scribere!“ quoties, ut alia reticeam, disceptantibus hodie et digladiantibus de republica intervenit versus „Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?“

De praestantia igitur poëseos satiricae, quam Juvenalis libri exhibent, dudum convenit inter eruditos; nos autem nunc non in eo acquiescimus, ut dignas esse censeamus Satiras multis multorum studiis, sed tironibus quoque si minus omnes, at selectas tamen tradendas esse arbitramur. Minime me fugit, vetuisse Niebuhrium in epistola illa ad juvenem quendam antiquis litteris deditum scripta, ne legerentur Juvenalis libri a junioribus: at nostra aetate intelligentibus harum rerum iudiciis contra videtur, nec adeo id mirum, nam paulo alieniorem fuisse a viri summi ingenio Satirae Romanae naturam et indolem vel iniqua illa et injusta Horatianae Musae dijudicatio

luculenter demonstrat. Et consentire mecum video viros doctissimos, qui quum anthologiam quandam Latinae poëseos in usum scholarum componerent, Juvenalem excludere noluerunt. Praeivit hanc rationem, ne altius primordia repetam, Caspar Orellius, cujus „Eclogae poetarum Latinorum in usum gymnasiorum et seminariorum philologicorum,“ Turici secundo editae 1833, tres integras cum fragmento satirae X continent. In latiore campum evasit Schmidtus, cujus „Juvenalis Satirarum delectus, in lectionis scholasticae academiaeque usus“ octo integras exhibet, praemisso Primae fragmento. Singulari libello tres satiras, quae ipsi quidem videbantur esse venustissimae adolescentium in usum Rothius Norimbergae 1841 edidit, si quid temporis, antequam juvenes Gymnasiis excederent, post Taciti lectionem redundasset, id in Juvenalem recte conferri arbitratus; totidemque eodem anno Banerus in „Delectu Satirarum Romanarum et Epigrammatum“ Stuttgart. emisso maturioris aetatis adolescentibus legendas proposuit. Nec improbabiliter id factum esse arbitror, plurima enim in Satiris hic illic reperiuntur adolescentium oculis vel auribus maxime accommodata. Nostrorum quoque discipulorum animis penitus inhaerent velim aurei illi versus VII, 207—10: „Di, majorum umbris tenuem et sine pondere terram Spirantisque crocos et in urna perpetuum ver, Qui praeceptorem sancti volvere parentis Esse loco!“ Quid, quod Satira octava, quae de vera est nobilitate, quum scripta sit ad juvenem Rubellium Blandum, etiam legi a juvenibus potissimum debeat? Tacitum, in conscribendo de Germania libro id unice egisse, ut popularibus suis aliquod simplicitatis ac virtutis exemplar ante oculos poneret, ad quod mores suos conformarent et emendarent, vulgaris fert opinio: Juvenali simile quid observatum esse putaverim. Nam facile intelligitur, Satirarum lectionem non modo ad ingenium multiplici doctrina variarumque rerum cognitione excolendum, ad iudicium acuendum, ad sensum veri, pulchri, venusti, honesti alendum, sed etiam ad mores animosque fingendos, ad veram utilemque philosophiam vitae imbibendam et ad amorem virtutum odiumque vitiorum, argumentis exemplisque propositis, inspirandum, maximam potuisse saltem vim habere. Huic rei convenit, quod permulta legentibus occurrunt sapienter et acute eademque breviter dicta, quum omnibus tum adolescentibus maxime convenientia, quae in promptuario sententiarum e Latinis scriptoribus conquirendarum suum sibi locum deposcunt, nec facere possum, quin data hic occasione florilegium quoddam illorum exhibeam, seligenda autem ea potissimum curavi, quae intellectu formaque ceteris praestare et commodissime e connexu dissolvi viderem. Sunt igitur haec fere. I, 74 „probitas laudatur et alget.“ II, 63 „Dat veniam corvis, vexat censura columbas.“ v. 83 „Nemo repente fuit turpissimus.“ III, 164 „Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi.“ IV, 8 „Nemo malus felix.“ v. 86 „Quid violentius aure tyranni?“ V, 6 „Ventre nihil frugalius.“ VIII, 20 „nobilitas sola est atque unica virtus.“ v. 76 „Miserum est aliorum incumbere famae.“ v. 38 „Summum crede nefas animam praeferre pudori.“ X, 172 „Mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula.“ v. 356—62 „Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano. Fortem posse animum, mortis terrore carentem, Qui spatium vitae extremum inter munera ponat Naturae, qui ferre queat quoscunque labores, Nesciat irasci, cupiat nihil et potiores Herculis aerumnas credat saevosque labores. Et Venere et coenis et pluma Sardanapali.“ v. 363—64 „semita certe Tranquillae per virtutem patet unica vitae.“ XI, 27 „E coelo descendit γυνῆσι σεαυτόν.“ v. 35 „buccae Noscenda est mensura suae spectandaque rebus In summis minimisque.“ v. 208 „Voluptates commendat rarior usus.“ XIII, 3 „Se iudice nemo nocens absolvitur.“ v. 11—12 „flagrantior aequo Non debet dolor esse viri.“ v. 20—22 „Victrix

fortunae sapientia; ducimus autem Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitae Nec jactare jugum vita didicere magistra“ v. 190 „minuti Semper et infirmi est animi exiguae voluptas Ultio.“ v. 240—42 „quis Peccandi finem posuit sibi? quando recepit Ejectum semel attrita de fronte ruborem?“ XIV, 31—32 „velocius et citius nos Corrumpunt vitiorum exempla domestica“ v. 44—45 „Nil dictu foedum visuque haec limina tangat, Intra quae puer est.“ v. 139 „Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.“ v. 176 „dives qui fieri vult, Et cito vult fieri.“ v. 204—205 „Lucri bonus est odor ex re Qualibet.“ v. 304 „Misera est magni custodia census.“ v. 312—313 „quanto felicior hic, qui Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.“ v. 321 „Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.“ Vel hujusmodi dictis et quae sunt id genus alia, dignum fieri scriptorem, qui adolescentibus iterum iterumque legendus proponatur, nemo sane diffitetur.

Quae omnia quum ita sint, haud abs re fore putavi, si de Juvenale loqui hic auderem; neque materiam mihi nunc sumpsisse videor jam omni parte ab aliis praecoccupatam. Quamquam enim in recensendis et enarrandis Satirarum libris multi deinceps sollerter versati sunt, permagna tamen etiamnunc restat ancipitum locorum ac paene desperatorum multitudo, quibus aut explicando aut corrigendo succurri debeat. Accedit quod de constituendi textus principio ac fundamento certatur hodie et debet sane certari; nam quod ex auctoritate Hermanni potissimum, qui de codicibus Juvenalis recte existimandis Goett. 1847 latius disseruit, et Jahnii docetur unum genuinae lectionis fontem esse Pithoei librum, reliquis deteriore contineri textum ac multifariam corruptum, a multis deinde, ut fieri solet, quippe quibus jurare in verba magistri tutum esse videatur, satis audacter pro certo venditur, meo qualicumque iudicio omni veritate destitutum est. Faciliorem esse et commodiorem quam vulgo appellant recensionem Pithoeanam vel Budensem, lubens equidem concedo, propius accedere ad archetypi sive codicis sive manuscripti fidem et normam, nego atque pernego; quodammodo enim pertinere huc dixerim, quae Noster XIV, 109 ait, fallere vitium „specie virtutis et umbra.“ Id programme ante hos undecim annos de Pithoeano codice scripto ac multis subinde commentationibus aliis alio loco propositis evincere studui: id etiam hoc tempore persequar, quo si nihil aliud patefiat certe, et praeter necessitatem a Vulgata recensione defecisse recentiores et cupidius quam consideratius arripuisse Pithoeanam. Primum de Satirae nonae loco dicemus, qui omnes adhuc interpretes fefellisse videtur, v. 122—23 Deterior tamen hic, qui liber non erit illis, Quorum animas et farre suo custodit et aere. Nulla hic est codicum discrepantia, sed de indubitati textus sensu quaeritur, inde antiquitus per pravam distinctionem obscurato vel etiam perverso. Dixerat ante v. 118, recte vivendum esse quum propter plurima tum idcirco, ut contemni queant servorum linguae; linguam enim mali servi esse partem pessimam, ita ut dominus conferatur servis. Pergit dein versibus supra laudatis. Triplex autem vulgari distinctioni et interpretationi impedimentum obstat; primum enim futuro in enuntiatione relativa vix locus sit, deinde offendit nudus ablativus illis, quem poni voluit omissa particula ab. Asseverat Heinrichus II p. 273, nullam dubitationem esse in omissione, veterum testimonia, qualia par erat, afferre supersedit. Ut largiar tamen, subaudiri posse praepositionem ab, quid tandem hic sibi vult liberum esse a servis de domino dictum? Scilicet circumscripte servi dicuntur illi Quorum animas et farre suo custodit et aere. Profecto enim nil hoc de servitute domini, nec faciunt ad rem, quae ab interpretibus notantur. Rupertii II p. 530 haec est explicatio: „qui illis obnoxius est eorumque linguas propter vitia, quorum illi sunt conscii, timere debet; vel hic

tamen dominus, qui liber non erit a cupiditatibus et vitiis, deterior est illis, quorum etc., h. e. servis suis: nam servorum quasi servus est. Hoc praeclare dictum e sententia Stoicorum: „πάντες κακοὶ δοῦλοι.“ Prorsus aliena sunt, quae secundo loco notantur; nil enim hic de cupiditatibus agitur. Quam parum vero sibi satisfecerit ipse, ex sequentibus manifestum fit. Addit enim sententiam paullo durius expressam esse et emendationem captat „qui liber contremittit illos,“ quod Heinrichius vocabulum esse vult „nusquam auditum.“ Reliqui omnino tacere maluerunt. Tu igitur mecum sic distingue et explica: Deterior tamen hic, qui liber est, non erit illis, i. e. quam illi, Quorum animas et farre suo custodit et aere? ita ut ad relativam enuntiationem qui liber suppleatur est, futurum erit trahatur ad Deterior tamen hic non illis, non pro nonne (Hand. Thurs. tom. IV p. 308) tota autem periodus pro quaestione sumatur. Sat frequens apud Nostrum futuri usus in quaerendo; cf. I, 158. Verto igitur equidem: „Wird jedoch nicht schlechter der Freie sein als Jene, welche er nährt und bezahlt?“ Sic demum, quae a versus exordio per comparativum deterior indicatur comparatio, ad suum finem perducitur. Largior est in Satira decima ancipitum locorum explicatuque difficilium copia, ex quibus unum alterumve diligentius excutere hic et illustrare conabimur. Sollicitarunt interpretes v. 23—25 Prima fere vota et cunctis notissima templis Divitiae, crescant ut opes, ut maxima toto Nostra sit arca foro. Haesitatum est in divitiarum et opum connexionem et potest sane haesitari, nam supervacaneae vel etiam molestae videntur esse divitiae, quum sejungant vota ab iis, quae desiderantur, crescant ut opes. Itaque prisci editores e nonnullis libris MSS. Divitiae ut crescant, ut opes, ut maxima legerunt. Maluit tamen Achaintrius I. p. 373 et opes scribere, quo vitaretur triplex ut: „divitiae, ait possunt esse sine opibus: nam cum opibus semper jungitur aliqua potestas: bene igitur haec separavit poeta.“ Sed paullo alienior potestatis vel auctoritatis notio ab hujus loci nexu. Magis etiam a vero aberravit Jacobsius Matth. misc. phil. I p. 84, qui putat legendum esse Divitiae, et crescant ut opes, binaque indicari vota, pauperum divitias sibi exoptantium et divitum, qui precentur, ut divitiae crescant. Nam quod tandem hic est discriminis illius inter pauperes et divites indicium? Rectius legunt et distinguunt hodie omnes Divitiae, crescant ut opes: restat tamen sic quoque ambiguitas quaedam, unde enim pendet particula ut? Voluit Heinrichius II p. 381, votum hic esse aliquid deo promissum certa sub conditione, cogit tamen subjectum divitiae, ut vota accipiamus de iis, quae desiderantur, non quae voventur. Melius, opinor, huic loco consultum erit, si ut pro interjectione ntinam (cf. Zumpt. L. G. §. 571) sumamus, ita ut ipsa afferantur vota; similiter apud Persium II, 44 aqq. Malim igitur sic interpungere Prima fere vota et cunctis notissima templis Divitiae: „crescant ut opes, ut maxima toto Nostra sit arca foro!“ — Nec silentio praetermittenda sunt verba vs. 41—42 Quippe tenet sudans hanc publicus et, sibi consul Ne placeat, curru servus portatur eodem. Sermo est de magna corona, quam tenet publicus servus supra caput triumphantis. Nimio intervallo disjunguntur inter se publicus et servus, quam qui commode jungi possint. Existimaverim igitur publicum absolute hic dici, ut est ap. Plaut. Truc. II, 7, 6. Inscr. ap. Gruter. p. 1087 n. 7. Inscr. ap. Donium class. 4, n. 48., cum emphasi autem postponi servum et opponi consuli; frequens enim in satiris mutatio subjecti. — Leguntur paullo infra vs. 66 Sejanus ducitur unco Spectandus. Trahi vult Rupertius II p. 549, ut Dio LVIII, 11 narrat, Sejanum ad scalas Gemonias: quaeritur tamen, utrum vivus ille fuerit necne. Sermonem hic fieri de jam

necato Heinrichius II p. 386 opinatur. Manifesto tamen, ut verbum ducere omittam, adversantur, quae infra quaeruntur vel exclamantur quae labra, quis illi Vultus erat? Ea enim nisi ad vivum referri nequeunt. — Perituros esse multos e Sejanis propinquis et amicis colloquuntur inter se cives; sic etiam periclitari Brutidius narratur vs. 82—5 Pallidulus mi Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram. Quam timeo victus ne poenas exigat Ajax Ut male defensus! De illo legimus apud Tacitum Ann. III, 66: „Brutidium artibus honestis copiosum, et si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum, festinatio exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suismet ipse spes anteire parat;“ fuisse igitur in iis, qui necarentur, admodum verisimile est, etiamsi non certis firmetur scriptorum testimoniis. Mire vexarunt interpretes verba victus ne poenas exigat Ajax Ut male defensus, necdum ea ad liquidum perducta esse videntur. Falso a prioribus victus Ajax jungitur ac pro subjecto habetur; volunt autem esse ipsum Tiberium, quippe male defensum a senatu contra Sejanum. Hanc sententiam a Rupertio II p. 553 latius excussam esse video: „ne Tiberius, male se a senatu et civibus defensum ratus, ira furens poenas de iis exigat, aequae ac Ajax Telamonius, qui quum victus esset eloquentia Ulyssis ac male defensus a Graecis, testibus virtutis suae, in rabiem versus, gladio et flagello in pecudes irruit. Praeclara comparatio Tiberii, qui post interitum Sejanum immanis beluae instar crudelissime saevit, cum Ajace furente.“ Adstipulatur praeter consuetudinem Heinrichius II p. 389, comparisonem illam eo magis huc pertinere ratus, quum Sejanus apte cum Ulixem conferri possit, quippe qui Ajacem i. e. Tiberium astutia superaverit. Non reticuit quidem, epitheton victus alienius esse ab hoc loco, sed excusari posse putat, quum claudicat, ut proverbio dici solet, omne simile, contra epitheton male defensus convenire contextui vel maxime. Recte Weherns in censura N. J. B. f. Phil. XXXII p. 163 oblocutus est. Nec enim Tiberius dici potest victus Ajax, quum victor ex illo certamine evaserit, nec, ut ipse Ajax, male defensus, quum nullam omnino defensionem aut expeteret aut experiretur. Porro quid opus fuit particula ut? Accedit quod Ajax ipse se defendit et suam causam egit, Tiberius irascitur, ut ab aliis male defensus. Denique nimis breviter et sine ullo, ut videtur, lepore Brutidius interponitur, deinde oratio ad alia convertitur. Itaque haec interpretatio exitum non habet. Praeclare haec omnia etiam a Madvigio Opusc. Acad. I p. 44 exposita sunt, sed quam ipse novam excogitavit expediendi loci rationem, mihi quidem non magis placere ingenue confiteor. Verba ejus haec sunt: „Ad Brutidium ipsum pertinent illa de Ajace et in iis inest id, quod quaerimus. Brutidius enim Niger eloquentia et declamando imperante Tiberio inclaruit; iudicium autem armorum inter Ajacem et Ulysses saepe materiam declamantibus praebuit. . . Eandem causam patet Brutidium Nigrum declamasse, certe pro Ajace dixisse. . . Itaque Quam timeo, inquit, ne Ajax poenas exigat; mortem Brutidio impendere significat, poenam frigidae declamatiunculae immissam ab Ajace inepte defenso.“ Quibus quid opponam, in promptu habeo. Enimvero non constat, frequentius quam alios declamasse Brutidium de certamine inter Ajacem et Ulysses, licet trita illa fuerit rhetorum materia. Porro, si Brutidius tam egregii fuit ingenii, ut testatur Tacitus loco allato, quo tandem jure frigidam fuisse declamatiunculam et malam defensionem statuit? Quid denique Brutidii supplicio cum Ajace defenso? Scilicet non damnatus est, quod bene aut male declamaverat, sed quod Sejanum sectabatur. Nec satis respexit Danus ille celeberrimus participium victus et particulam ut; quod autem supra VII, 115 pallidus Ajax Dicturus legitur, nihil ad nostrum locum valet. Multo simplicior et

apertior mihi quidem videtur esse verborum sententia. Patet simplex victus poni pro composito convictus i. e. iudicio, nec minus apparet, verba ut male defensus Ajax arte inter se cohaerere et comparisonem institui inter eum, qui victus vel convictus poenam exigit, et Ajacem male defensum. Ille autem nisi Brutidius esse nequit. Timet igitur poeta, ne Brutidius sua ipse manu se interimat ut Ajax Ovidii, qui etiam priori loco significatur. Nam saepenumero id factum esse a reis, quo ignominiam supplicii subterfugerent, historiarum scriptores testantur; sic Suetonius Tib. 61 narrat: „Citati ad causam dicendam partim se domi vulneraverunt, certi damnationis, et ad vexationem ignominiamque vitandam, partim in media curia venenum hauserunt.“ Cf. Dio Cass. LVIII, 15 et Tac. Ann. 5, 8. De Sophocleo igitur Ajace omnino cogitari non debet. — In universum, ut solet, digressus a rei tractatione, quaerit vs. 97—8 Sed quae praeclara et prospera tantum, Ut rebus laetis par sit mensura malorum? Scribitur in omnibus editionibus e Pithoeano tanti ac suppletur sunt vel aestimanda sunt, ita ut praeclara et prospera per copulam arte jungantur. Obstat tamen huic juncturae aliquatenus notionis diversitas, nam discerni hic potius expectaveris praeclara a prosperis pro sententiarum connexionem, nec probabilis oritur sensus loci. Quae Rupertius II p. 556 autem de suo adiecit „ut ea exoptes vel acquiras, ea lege, ut in posterum non minus mali admixtum sit,“ sat aperte contra poetam mentem dicta sunt. Nec sibi ipsi satisfecisse illum inde patet, quod scribere maluit Quum par sit aut tanta sunt, Ut contra librorum auctoritatem. Non multum differt, quod Schurzfleischio p. 133 placuit: „tantum legit membrana, ut dicat, quoniam usque adeo bona sunt, ut non mala habeant admixta?“ Scilicet desiderantur in textu et non et admixtus. Nihil secius et ipse ad Vulgatam redeundum esse puto. Praeivit rectam loci interpretationem Heinrichius II p. 391, qui discrimine inter praeclarum et prosperum probe perspecto (enimvero non omnia prospera sunt, quae praeclara) comma post prospera posuit, ita ut et pro etiam accipiatur ac subaudiatur sunt, deinde tantum ut dici voluit, ut apud Ciceronem oratt. partes inedd. p. 63: „nur in soweit, dass das Maass der Widerwärtigkeiten das Maass des Guten nicht übersteigt, des Uebels also nicht mehr ist, als des Guten.“ Sed haec quoque explicandi ratio, licet nobis ipsis in Philologo XII p. 446 accepta, habet, in quo jure haereas. Enimvero, ut particula sic usurpetur a Cicerone, vix tamen huc quadret et expectaveris potius immutata verborum ratione dixisse poetam ut res laetae pares sint mensurae malorum. Eatenus igitur Heinrichio adstipulor, quod et pro etiam sumendum esse et supplendum sunt arbitror, dissentio tamen de reliquis. Primum enim tantum hic pro tam dici puto, ut Hor. Sat. II, 3, 317, deinde loci structuram sic esse mutandam, ut dativus rebus laetis subjiciatur verbo sit, genitivus malorum adjectivo par; nam plenius sic dicendum erat poetam ut rebus laetis sit mensura par (mensurae) malorum. Ejusmodi brachylogiae exempla sunt III, 74 „sermo . . . Isaco torrentior;“ XV, 140 „infans . . . minor igne rogi.“ Sic oritur sensus: „Denn welche glänzenden Verhältnisse sind zugleich so glücklich, dass das Freudige dem Widerwärtigen gleich käme?“ Scilicet vera plerumque fortuna destitutam esse ait praeclarissimam rerum conditionem, qualis Sejano fuerit. — Loquitur inde a versu 147 Noster de Hannibale utpote summo duce ejusque nimiam castigat ambitionem et belligerandi cupiditatem, nam hic est, quem non capit Africa Mauro Percussa Oceano Niloque admota tepenti, Rursus ad Aethiopum populos altosque elephantos. Sic legunt et distinguunt hodie omnes, at mihi nunc duplici ratione secus videtur. Significatur Africa ab occidentali parte i. e.

Mauro Oceano ad orientalem i. e. tepentem Nilum. Hoc sane manifestum est, quaeritur id unum, quo vergant Aethiopum populi atque elephantum, quos particula rursus annecti volunt. Enimvero non jungi debere hunc versum cum sequentibus, ut prioribus visum fuit, inde a Rupertio I Exc. p. 341 sqq. et Heinekeo Animadv. p. 94 sqq. jam omnes consentiunt, scilicet vel maxime ei juncturae datus imperiis adversatur. Sed quod post tepenti comma ponitur, meo quidem iudicio turbat et interrumpit loci nexum. Displicet enim, quod particula rursus, quum opponantur inter se occidens et oriens, tertiam insuper ac novam indicat regionem, praesertim quum Aethiopes una cum tepenti Nilo ad orientem spectent. Nec fugit interpretes, difficultatem esse in illa particula; quare H. Valesius versus coniecit, Rupertius prorsus, ingeniose Jacobsius Misc. Phil. I p. 85 sqq. furvos. Cave credas. Tuetur enim particulam rursus librorum auctoritas, tuetur etiam sententiarum connexio, modo recte et interpungas et interpreteris. Tu igitur mecum comma post rursus ponas, ita ut particula trahatur ad praecedentia. Sic explicatus etiam et strictius distinguitur inter occidentalem et orientalem Africae partem; sic demum particula hujus loci est, quum ad bipartitam rationem revocetur coeli plaga; adduntur enim tepenti Nilo, quo latius designetur, qui Romanis notior fuit, Africae oriens sine copula Aethiopum populi et ipsi eodem vergentes. Conferas Manilii Astron. IV, 601—2 locum ab Heinekeo laudatum: „Litora- que in Syrtis revocans sinuata vadosas Rursum usque ad Nilum directis fluctibus exit.“ Superest, ut de codicum discrepantia loquar. Tolerari posse Vulgatam aliosque Rupertius in excursu I p. 342 concessit: „ad diversitatem vel terrarum Libyae, in quibus elephantum sunt, vel elephantorum in Mauretania et Aethiopia, seu Aethiopia occidentali et orientali, vel ipsorum Aethiopum spectat,“ aptius tamen legi altosque elephantos existimavit. Pariter Heinrichius II p. 396 „rursus alios“ significari hic elephantos posse putavit, quum reperirentur ii et diversi quidem diversis Africae partibus, pro mendo tamen, nescio quo jure, id epitheton sumere maluit. Praeter Achaintrium I p. 390, qui incerto et inconstanti iudicio de interiore Africae parte et India elephantorum et maximorum quidem ferace cogitavit, unus tantum e recentioribus Weberus librorum fidem servavit et his verbis Animadv. p. 14 sqq. defendit: „vocabulo alius Latini pariter atque Graeci sic utuntur, ut diversa atque adeo contraria iis, quae antea dicta sunt, indicet. Nostro loco verba ita intelligenda sunt: Imperium Hannibalis usque ad Aethiopiam extenditur, et quae aliae terrae sunt, in quibus elephantum aluntur. Quod vero poeta elephantos dicit pro ipsis populis, qui elephantos nutriunt, nemini mirum videbitur, qui Juvenalis dictionem satis cognoverit.“ Impugnavit hanc rationem censor Jen. Allg. Litt. Z. 1820, N. 88, p. 236, nec temere quidem, falsa tamen veris miscuit. Sed quae tandem sunt, interrogat, aliae terrae? Significari Indiam conjeceris, ubi maximos fuisse elephantos omnes norunt. Sed eo usque non propagatum fuit illud imperium. Nec non obstrepit verborum consecutio; vix enim quum tanta sit subjectorum populi et elephantum diversitas, quod interponitur adjectivum alius esse poterit „diversus atque adeo contrarius iis, quae antea dicta sunt.“ Restituendam esse et ipse arbitror Vulgatam aliosque, nolim tamen acquiescere in Weberi interpretatione, quum meliorem mihi invenisse videar. Coniciat quis, opponi hic elephantos, qui in Africae oriente i. e. in Aethiopia ac finitimis regionibus sunt, tacite quodammodo occidentalibus, qui in Mauretania sunt, nam hic quoque reperiri id belluarum genus diserte testatur Plinius H. N. VIII, 11: „Elephantos fert Africa . . . et in Mauretania: ferunt Aethiopes et Troglodytae, sed maximos India;“ et alius saepius apud Nostrum pro alter VII, 114. VI, 437. Praestiterit tamen

de Indicis hic cogitare elephantis; enimvero quod censor ille Jenensis opposuit, usque eo non propagatam fuisse Carthaginis dominationem, prorsus nihil ad rem pertinet, quum hic de Africae, non de Hannibalis vel Carthaginensium imperii finibus loquatur. Indici autem elephantum ut majores jungi aut opponi solent Africanis vel Aethiopibus; Plin. H. N. VIII, 9: „Indicum elephantem Africanis et Indicum hic illic composuit et componuntur inter se Mauri et Indi ut confines VI, 337; XI, 124 Dentes quos mittit porta Syenes Et Mauri celeres et Mauro obscurior Indus. At, dicit quis, quorsum India huc, ubi de Africa sermo fit? Nam vel Oceano et longissime quidem eam secerni scimus. Sed meminerit velim ille Indiam a veteribus nec apud poetas solum haberi pro parte Africae. Ut taceam, apud Homerum Indos appellari „Aethiopes orientales“ et ab Hyg. fab. 273 Thebas, quas in Aegypto sitas esse constat, inter urbes Indicas censeret, inveterata erat ac longe diffusa geographorum antiquorum opinio continere Indiam cum Africa; cf. Ptol. IV, 9. VII, 3. Aristot. de coel. II, 14. Polyb. III, 38, 1, ita ut pro Africae parte haberi queat. Ergo significantur per alios elephantos non quicumque alii, sed qui soli praeter Africanos vel Aethiopes aut sunt aut cogitantur esse elephantum. Epitheton ornans autem altus satis illi belluarum generi conveniens correctori debetur ut XII, 110 iens in proelia turris. Commodior utique est Plathneri emendatio albosque etiam Jacobsio accepta e Ptolemaei auctoritate: „Juxta Lybiam magna Aethiopia regio, in qua elephantum albi omnes;“ at non opus est emendatione. Elephantos autem pro terra dici elephantorum ferace, quales sunt Aethiopia et India, nemo impense demirabitur.

Jam venimus ad Satiram undecimam, quae forma et materia Horatiano ingenio propria est reliquis omnibus, nam hilaritatem quandam animi ostendit hic satiricus alioqui gravis ac severus. Interrogat heluonem aliquem v. 38 Quis enim te deficiente crumena Et crescente gula manet exitus? Nihil difficultatis habet dictio; praeter necessitatem tamen e paucis libris Jahnus p. 122 recepit culina, invito poeta; nam acrius est antitheton inter deficientem crumenam i. e. pecuniam (cf. Horat. Epist. I, 4, 11 „non deficiente crumena“) et crescentem gulam, nempe hic sermo fit de rei familiaris profusione per luxuriam. In Pithoeano quoque fuisse lectionem crumina triplex rasura quodammodo verisimile facit; certe de culina non est quod cogitemus. Jure igitur „incipiti Pithoeani subsidio,“ Hermannus praef. p. XXX antiquum retinere tutius duxit. — Comparat poeta pretiosissimas mensas, quales suo sint aevo, cum antiquis v. 117 Illa domi natas nostraque ex arbore mensas Tempora viderunt, hos lignum stabat in usus Annosam si forte nucem dejecerat Eurus. Pithoeanam lectionem hoc unus recepit Jahnus p. 125 expressitque eam nostro sermone nuperrime Bergius p. 248 „dies Holz war da zum Gebrauche,“ ita ut pronomen ad nostram arborem pertineat. Merito tamen reliqui omnes Vulgatam hos servarunt, nam quo lignum facile caret demonstrativo, desideratur ad usus et repugnat aliquatenus, quod subsequitur si forte. Accedit quod in Pithoeano alias quoque demonstrativi formae miscentur aut corrumpuntur (cf. XV, 26. 77.). Ceterum pari jure dicere licet hos in usus et hos ad usus, ut in Pithoeano legitur. Fusius de hac re egit Weberus Annot. in Juv. p. 334: „Peculiaris locutio est hos, illos in usus (cf. Ovid. Met. V, 111. Burmann. ad Nemes. Ecl. II, 36 Val. Flacc. VII, 633, Moret. v. 20.) sed non alio modo dicitur hos ad usus (vid. Apul. Met. II et V. Heins. ad Ov. Fast. II, 793).“ Ipse tamen Vulgatam retinuit. Verbum stabat pro simplici erat dici, ut visum est Rupertio p. 618 laudatis locis Heyn. ad Verg. Aen. I, 646. VII,

553 equidem vix existimaverim. Minime me fugit quidem, passim stare *ἔσθαι* pro esse poni, non tamen opinor sine peculiari quadam vi (cf. Prop. III, 22, 22. 19, 20. Tibull. I, 6, 36. Horat. Od. I, 16, 19. Varr. ap. Non. VI, 421. Sen. Hipp. 472. Ov. A. Am. I, 520. Val. Flacc. VII, 354. Ov. Fast. V, 383). Nostro igitur loco per stare aut vulgaris usus significatur aut notio verbi servari, ut ait auctor Moreti v. 20: „illos servabat in usus.“ Idem sensisse videtur Weberus p. 161: „zu dem Zweck liess man das Holz stehen.“ Minus recte Teuffelius: „leicht bot sich Holz zu dem Zwecke.“ Verbis si forte dejecerat Eurus, si quid video, id exprimitur, insuper deberi ejusmodi mensas fortuito casui, noluisse enim veteres ultro annosam cadere nucem. — Dixerat jam divitibus nullam esse coenandi voluptatem, latos nisi sustineret orbis grande ebur: pergit dein v. 127—9. Hinc surgit orexis, hinc stomacho bilis. Nam pes argenteus illis Annulus in digito quod ferreus. Mutarunt recentiores Vulgatam bilis in Pithoeanam vires, nec id mirari licet, nam qui ante servarunt illam, perperam interpretati sunt. Rupertii II p. 620 haec est explicatio: „bilis, ut „improba ventris rabies“ vel „rabies edendi“ ap. Verg. Aen. II, 356 et IX, 63,“ ac verterunt Düntzerus p. 364 „dorther Gier in den Magen“ et Weberus p. 162 „das bringt Galle dem Magen“ adjecta insuper nota p. 539 „Galle, zur Verdauung.“ Recte contradixit Heinrichus II p. 428: „bilis ist nicht Heiss hunger, sondern Erbitterung. Auch passt ersterer nicht hierher, wo bloss vom Gegensatze des Eckels die Rede ist, vires ist also grade darum richtiger, weil es weniger besagt.“ Quae autem ad commendandam Pithoeani lectionem addidit, vires esse genus quoddam dicendi consuetudine receptum citato loco VI, 253 vires amat, vix quidquam ad rem valent. Nec mutanda, opinor, lectio erit, sed interpretatio. Plane contrarium suspicor equidem significari, scilicet bilis hic ut ubique apud Juvenalem (V, 159. VI, 433. XI, 187. XIII, 143. XV, 15) pro taedio vel fastidio. Correctori lectionem vires deberi crediderim; unde autem existerit correctio, liquido apparet. Persuasum fuit omnibus adhuc interpretibus repeti a poeta, quae modo dixerat, more rhetorico, quapropter alii vocem bilis in alienam sententiam detorserunt, alii, in quibus Pithoeani codicis auctor, emendando succurrere maluerunt, cum de explicanda voce bilis desperassent. Et potuit haud dubie modo dicta rhetorica gradatione repetere, potuit tamen etiam contrarium dicere hinc et orexis i. e. appetitus et bilis i. e. taedium surgit stomacho. Utrum praeferrere debeat, e sequentibus demum apparebit. Quodsi vires legamus, non procedit sermo, quorsum enim nam? Expectaveris potius sed vel contra, cum antitheton sit. At si legimus bilis, vel optime fluit oratio, quippe haec est sententiarum connexio: inde et taedium oritur, nam movet illud pes argenteus, ut ferreus annulus aureos ferre solitis. Jubet igitur quae subsequitur enunciatio causalis, recipi Vulgatam, sperni Pithoeanam. — Sine justa causa sollicitatur ab interpretibus locus v. 147—8 Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus Quisquam erit et magno: cum posces, posce Latine. Summa tunc erat Romae servorum Asiaticorum aestimatio, unde sat. V, 50. Flos Asiae. . . pretio majore paratus. Talem igitur servum suae domi esse Juvenalis negat. Tuetur Vulgatorum librorum consensus lectionem et magno, dissentiunt tamen inter se docti. Plane inepta sunt, quae a Rupertio I p. 226, annotantur: „emptus a mangone divite et magnum servorum numerum habente. Malim reponere: Quisquam erit et magnus scil. statura non pretio: nam proceri servi majoris quam parvi aestimabantur;“ rectius idem II p. 624 „non petitus a mangone et magno sc. pretio.“ Duplex autem sese offert expediendi loci ratio; aut enim subjungitur et magno praecedentibus: non a mangone et magno quidem

petitus Quisquam erit, aut conjungitur, ita ut indidem particula negativa repetatur: non a magone et (non) i. e. nec magno petitus Quisquam erit. Recte ita jam Heinrichio II p. 430 visum est: „richtig ist et (non) magno; et also für neque. Die Negation aus dem ersteren Satze wird beim zweiten assumirt. Dies ist sprachrichtig, jedoch nicht allzu häufig.“ Similiter supra III, 209 Qua (non) fornace graves, qua non incude catenae et VIII, 241 quantum non Leucade, quantum Thessaliae campis Octavius (non) abstulit. Exhibet Jahni editio p. 126 Pithoeanum in magno ac trahitur id ad sequentia cum posces, posce Latine. Quid senserit ille, me non intelligere fateor. Maluerunt desperata omnium librorum fide Hermannus p. 78 et Ribbeckius p. 64 duo hemistichia non a mangone petitus et Quisquam erit, in magno secernere, ita ut in unum versum periodus coalesceret Non Phryx aut Lycius: cum posces, posce Latine. — V. 162—3 Forsitan expectes ut Gaditana canoro Incipiat prurire choro. Praebent aliquot libri MSS. expectas; sed forsitan apud Juvenalem saepius (I, 150. V, 156. VII, 113. XIV, 34.) cum conjunctivo. Servarunt recentiores lectionem Pithoeanam incipiant. Vix tamen plurali hic locus sit. Accipere videntur illi Gaditana pro neutro plurali, ita ut sint carmina vel „cantica“, vid. Mart. III, 63, 5. Minus tamen ei subjecto convenienti verba incipiant et prurire: sat aperte enim sermo fit de chori antistite i. e. Gaditana sc. puella, ut Plin. Epist. I, 15, quam sequuntur dein plausu probatae puellae. Corrigere voluit Marklandius ad Stat. Silv. 6, 71 praecire, obstrepente verbo Incipiat. Equidem in Pithoeano hic mendum esse putaverim, ut IV, 71 „possint.“ VI, 159 „ignorant.“ VII, 24 „implentur.“ X, 202 „moveant.“ XII, 92 „operantur.“ XIV, 13 „cupient;“ ubique autem revocarunt ipsi Vulgatam recentiores. — Disceptatur de modo verbali v. 176—8 Alea Turpis, Turpe et adulterium mediocribus, haec eadem illi Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur. Diversam esse ait malefactorum existimationem pro diversis malefactorum facultatibus, ut supra IV, 13 quod turpe bonis . . . decebit Crispinum, et VIII, 182 quae Turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt. Auctore C. Valesio contra communem codicum auctoritatem recentiores scripserunt faciunt; quin etiam alienum esse a grammatica ratione conjunctivum Heinrichius II p. 438 audacter affirmavit. Sed non satis illi perspectum habuere, quale hic esset antitheton. Dixerat brevi ante pauperes vituperari et perstringi, si aut aleam luderent aut adulterium committerent: divites jam ait, etiamsi haec eadem, et omnia quidem, faciant, tamen vocari nitidos hilaresque. Suam igitur vim habet epitheton omnia in versus exordio positum. Vide quae disputavi in libello „die Exegese Hermanns“ inscripto p. 54. Differt locus supra v. 1 Atticus eximie si coenat, lautus habetur, Rutilus si, demens. — Multum conclamati sunt v. 195—7, ubi ludorum Megalesiacorum mentio fit, similisque triumpho, Praeco caballorum praetor sedet. Dissentiens equidem ab omnibus Rupertii correctionem praeco restitui, licet in magnam reprehensionem me incursum esse probe sciam. Intolerabilem esse codicum lectionem praedo, licet defensam a Grotio ad Capellam p. 174. Ruhnkenio ad Aquil. p. 170 jam pro certo stat; quae autem plurimis hodie placuit, Gronovii Observ. IV, 24 correctio praeda, paullo alienior videtur esse ab hujus loci nexu nec apte dici puto praedam caballorum praetorem exhaustis abreptisque per equinam emtionem ac nutritum opibus. Contra lepide et jocose praetor triumphanti similis vocatur hic praeco caballorum, quod victorum nomina proclamat. Abjectum autem eo tempore habebatur praeconis et nomen et officium, ita ut opponantur inter se similis triumpho et praeco caballorum. In promptu sunt testi-

monia ex ipso Juvenale petita. Sic III, 157 nitidi praeconis filius recensetur inter infimae plebis homines, ac perstringitur VI, 439 cum caussidico ob loquacitatem praeco comparatus cum muliere. Sic etiam VII, 6 vel foedum et turpe dicitur praekonem fieri et paullo post v. 9 cum contemtionis afflatu vocatur nomen victusque Machaerae auctionarii. Nec aliter VIII, 96 Chaerippus monetur, ut praekonem circumspiciat pannis suis. Ubicumque igitur praekonis nomen apud Nostrum occurrit, semper aliquid vile habet. Commune autem lectionibus praeda et praeco id est, quod ex emendatione natae sunt, licet paucis inferioris notae codicibus illam firmari haud dissimulem. Age autem animadvertas quae, si duas inter se emendationes comparaveris, quanta sit earum diversitas, quod ad rei veritatem vel verisimilitudinem attinet. Quo enim praeda huc cadat, fingunt consumi praetoris bona, quasi id necessario cum edendis muneribus junctum sit. Contra praetoris fuisse, ut nomina victorum equorum publice declararet i. e. praeco fieret, omnino certum indubitatumque est. Minus intercederem, si hic latius de rei familiaris consumptione per munera (III, 36) vel aurigationem facta diceretur, ut I, 59 (cf. VIII, 146 sqq.). Ergo hic praeco caballorum, ut supra I, 99 ille clientium praeco, qui jubetura domino vocare ipsos Trojugenas. Haec quoque dictio, ut ostendi, salsum quid habet ac vere satiricum et haud scio an multo accommodatior sit contextui, quam quod recentiores una voce probarunt praeda caballorum. — Ambigitur de verborum sensu v. 203—4. Nostra bibat vernum contracta cuticula solem Effugiatque togam, quod sprete simplicissima interpretandi ratione aliena ac devia sectati sunt nec satis loci nexum animadverterunt. Varias explicationes admittit aut videtur saltem admittere Effugiatque togam. Prorsus absonum est, quod Rupertius II p. 635 nescio quid obsceni odoratus autumavit, poetam hic ut II, 70 cogitasse de toga meretricum aut „salutatrici turbae“ (V, 21). Nec omnino arripit, quae apud Francogallum I p. 440 leguntur, toga significari „togae curas, occupationes, officia“ Hujus tamen interpretationis vindex postea ac defensor exstitit Weberus in Explicationibus versioni additis p. 554: „Sich der Toga entziehen heisst den ernsthaften Staats- und Geschäftsmenschen ablegen und sich's bequiem machen.“ Jure refragatus ei est Doellenius Beitr. z. Krit. u. Erkl. Juv. p. 164—8; quae autem explicatius ille disseruit, jam breviter ac summatim complectar. Posse dici effugere togam de iis, qui civilis vitae curas et officia vitant, facile largior; hic autem, quominus ita interpretemur, vetat contextus. Scilicet de ea re jam supra v. 183 sqq. Sed nunc dilatis avertite negotia curis Et gratam requiem dona tibi, quando licebit Per totum cessare diem pluribus sermo fuerat nec potuit hic iterum dici ex abrupto. Accedit, quod illi explicationi minime accommodatum est subjectum contracta nostra cuticula. Vel maluerim hic cum Heinrichio II p. 440 cogitare de effugio togae, quae eo die ob Megalesiacos ludos spectatoribus ferenda erat; at ne id quidem huc trahendum esse puto. Praestiterit in eo subsistere, ut de abjicienda apricationis causa vel abjecta cogitetur toga. Plura de insolatione illa ab interpretibus ad Pers. IV, 18 disputantur. Sat aperte enim cuticula de nudato corpore, ita ut postponatur, quod erat anteponendum, et quoties apud poetas ejusmodi hysteron proteron occurrit! Liceat quoque verba sic intelligere, ut vetetur, quae semel exuta est, rursus indui toga, quo reliquum diei leviori ac commodiori amictu transigatur. Utunque res se habet, non translaticio sensu hic sumendum effugere togam, sed ad verbum explicandum erit. — Finit satiram vere et eleganter dictum voluptates commendat rarior usus. Simile illud Plinii XII, 17: „Nulla est voluptas, quae non assiduitate sui fastidium pariat.“

Corruptelam esse, quod in Scholiorum lemmate legitur parior, vel ex iis cernitur, quae sequuntur „quidquid fit rariter, magis delectat“. Ingeniosa quidem sed temeraria est, quippe e scholiastae mendo prognata, Ribbeckii p. 66 emendatio parior; nec obrudi ea debebat, nostro quidem iudicio, praeter necessitatem textui.

Impedita est prae aliis aut videtur esse Satira duodecima, priori saltem parte, multis ac magnis difficultatibus, quum non modo variant hic illic libri manuscripti, sed etiam valde fluctuet interior sententiarum connexio et consecutio, ita ut perpetua fere illustratione per continuos versus indigeat. Levioris hand dubie momenti est, sed non omittenda, quae statim initio occurrit varietas lectionis v. I Natali, Corvine, die mihi dulcior haec lux. Sic hodie legunt omnes praeeunte Servio ad Verg. Ecl. III, 76; triplex tamen in libris exstat epitheton, licet, quatenus unumquodque firmetur, ex recentiorum testimoniis vix certo cognoscas. Sat magna codicum pars, si Achaintrio I, p. 443 fides habenda, praebet carior, quod non mutandum fuisse Schurzfeischius p. 154 arbitratur, multo pauciores clarior; cum reliquis Pithoeanus communem habere videtur lectionem dulcior, quam ipse retinendam duco. — Quod vel hodie fieri solet, ut in redundanti dictionis ubertate, quae tamen ex rhetorica satirae indole nascitur, et in singulari quodam genere loquendi; Juvenali tamen proprio offendant interpretes, idem Rupertio olim accidisse video v. 9—14 Si res ampla domi similisque affectibus esset, Pinguior Hispulla traheretur taurus et ipsa Mole piger nec finitima nutritus in herba, Laeta sed ostendens Clitumni pascua sanguis Iret et a grandi cervix ferienda ministro. Orationem hoc loco voluit ille scabram esse et impeditam nec dubitat, quin versus 14 obelo transfigendus sit, antecedenti autem versu pro sanguis reponendum sacri, quae verba per compendium scripta non admodum differant. Sic flumen sacrum et sacras undas Clitumni dixisse Vergilium Georg. II, 147 et Claudianum Cons. Hon. XXVIII, 506. Ita quoque aptissimum esse verbum ostendens sc. niveo pellis colore, cum Clitumni aquae ea vis inesse putaretur, ut candida redderet armenta, quo non satis commode referri possit, si de sanguine agatur. Contra dicit Weberus p. 345, nec offendere mutatum subjectum, satis illud frequens apud poetas, modo cogitatione suppleatur ad sanguis genitivus pronominis ejus i. e. tauri, nec desiderari hoc loco epitheton sacer. Atqui unice verum est sanguis, sed quae insuper addidit ille, hoc versu et sequenti victimam describi vel interioribus partibus sanissimam, cujus sanguis, quum profunderet, purus, incorruptus, non vitiatum esset, quaeque magnitudine excelleret laudato Vergilii loco Georg. II, 146 sqq., argutius quam consideratius dicta sunt. Satis apparet adoptasse eum Rupertianam II p. 638 verborum sanguis Iret interpretationem „manaret, profunderetur, et quidem ingenti vi, qua ostendit taurum pinguem esse et in laetis, opimis, pascuis nutritum.“ Idem de Heinrichio dicas, qui jure quidem monnit II p. 443 nil impedimenti versum 14 habere, si quis ad poeticae dictionis rationem animum advertere voluerit, fluctuante tamen iudicio et pae „Sanguis i. e. sanguine ost. pascua“ dixit. Sic quoque sanguis non intelligitur, ut debet intelligi. Rem acu tetigit Schmidtus p. 254: „Primum relativi cujus ellipsin durissimam vel illicitam esse ajo, deinde nego sanguis it esse posse „manat, profunditur et quidem ingenti impetu ac vi,“ denique dubito, num possit ingens sanguinis profusio ostendere pascua aliis laetiora et pinguitudinem. Sed sanguis et cervix hic ipse dicitur bos sive taurus; figura autem ea, ex qua pars insignis dicitur pro tota re, poetis et graecis et latinis est longe familiarissima.“ Mallem dixisset, Juvenali imprimis id loquendi genus esse frequentissimum, sic, ut in hac satira consistam, supra v. 4 vellus

pro ove, infra v. 73 sumen pro sue, v. 112 ebur pro elephanto. Porro verbum ire pro manare sumi, vel alterum vetat subjectum cervix, tali verbo vel maxime contrarium; sanguis autem, ut uno verbo dicam, est „Vollblut“. Reliquum est, ut de loci distinctione pauca dicantur. Vulgo sic distinguitur, ut tauro jam duobus epithetis ad pinguitudinem et molem pertinentibus insignito tertium insuper per nec addatur, huic autem per adversativam particulam cum emphasi opponatur enunciatio primaria Iret sanguis. Nec id improbabile, saepius enim nec tale quid annectit ut VII, 66. XI, 75, et quot reperiuntur apud Juvenalem ejusmodi attributa substantivo antecedenti modo arctius modo laxius annexa! Maluit tamen (concludas id e commate post pascua posito) Jahnius p. 130 hunc sententiarum ordinem instituere, ut per nec priori enunciationi primariae traheretur taurus adjungeretur altera Iret sanguis, negaretur autem tantum epitheton finitima nutritus in herba. Apte sic revocatur, quod hic est antitheton, ad duo epitheta non finitima nutritus in herba et laeta ostendens Clitumni pascua communiter ad sanguinem postpositum pertinentia. Pariter sed duo epitheta vel jungit vel opponit VI, 9. XI, 7. XIII, 25. XV, 27; et praemittuntur etiam persaepe in satiris complura deinceps attributa substantivo suo ut paullo infra v. 15. Utra igitur interpungendi ratio potior habenda est? In tam lubrica re vix quidquam pro certo affirmare ausim; nam epitheton non finitima nutritus in herba utroque referre licet. — Sacra sese facturum esse promittit poeta v. 15—18 Ob reditum trepidantis adhuc horrendaque passi Nuper et incolumem sese mirantis amici; Nam praeter pelagi casus et fulguris ictum Evasi. Loquitur autem haec non sine afflatu quodam vel joci vel etiam irrisionis, quod, qui incolumis evasit amicus, tanto tamen tamque multiplici angore cruciatus fuit. Compluribus variat hic codicum lectio; Vulgata enim est fulguris ictum, contra in Pithoeano legitur fulminis ictus, quod recentiores praetulerunt. Utrum fulguris an fulminis legamus, vix quidquam interest. Hand ignoro vulgo discerni ita, ut fulgur fulgeat, fulmen feriat, et discernitur sic apud Livium XL, 59, 4: „fulguribus praestringentibus aciem oculorum, sed fulmina etiam sic undique micabant, ut peti viderentur corpora“ et apud Curtium III, 4, 3: „tertio die ab omni parte coeli emicare fulgura; erat prope continuus coeli fragor, et passim cadentium fulminum species videbatur:“ sed apud posterioris aevi scriptores promiscue dicuntur verba discrimine non servato. Docet idoneus harum rerum arbiter Doederleinius Syn. III, p. 318: „Von den Prosaikern des goldenen Zeitalters wird fulgur, der leuchtende und fulmen, der treffende Blitz nicht leicht verwechselt. Aber vor und nach dem goldenen Zeitalter war auch fulgur der Wetterstrahl; vgl. Bentley zu Hor. Carm. II, 10, 12.“ Non temere igitur dixeris per emendationem hic scribi fulmen, utpote convenientius justo sermonis usui; at non opus est emendatione. Nec magis arridet pluralis ictus, quum semel tantum de coelo tactam esse navem paullo infra legamus. Immo significantior est singularis; scilicet evasit Catullus fulguris ictum tamquam sibi destinatum. Multo difficilior est quaestio de subsequenti lectionis discrepantia; praebent enim omnes libri MSS. evasi, contra Pithoei codex evasit. Ambigitur de ipso participio evasus et debet sane ambigi; at multo magis etiam offensioni fuit, quod nullo pacto id cadere videbatur in contextum. Retinuit quidem participium illud Rupertius I p. 232, tamen substituit in eo, ut II p. 639 notaret „fulguris evasi, quod evasit,“ lectionem Pithoeanam vero I p. 232 his verbis reprobaret: „Vulgata lectione servata augentur pericula, scilicet ipse progreditur uno tenore nam praeter pelagi... tenebrae.“ Sed ut sequentia omittam, de quibus mox sermo erit, ante densae majori signo incidendum esse, hodie omnes consentiunt. Nec

mirum igitur, quod recentiores Pithoeanam lectionem *Evasit* receperunt. Princeps Weberus p. 345 Rupertium impugnavit: „Participium *evasi* barbarum dicas atque inauditum; *evasit* assumere nemo dubitabit, nisi cui vitii codd. adhaerere placeat.“ Spretae codicum fidei vindex postea existit Schmidius, qui participium quidem non male defendit, ceterum tamen suscepto suo ita satisfecit, ut labefactaret magis quam firmaret Vulgatam. Ait enim p. 256: „Inauditum sane mihi quoque esse, barbarum esse non concedo. At *vasus* non est, neque ergo potest esse *evasus*? Sed quum, ut uno exemplo defungar, *conventus*, a, um sit, quia est convenire aliquem, nec tamen *ventus*, a, um, qui minus sit latinum *evasus*, quoniam est evadere aliquid? Multa profecto damnanda forent, si damnarentur propterea, quod semel tantum legantur in iis veterum scriptis, quae ad nos venerunt!“ Eatenus igitur plane mihi cum Schmidio convenit; nam iudico et ipse, saltem excusari posse apud Juvenalem, quippe tam serae aetatis poetam, insuper satiricum ejusmodi participium, at in ceteris omnibus ab illo vel maxime dissentio. Quum enim sibi persuaserit, participium nisi fulguris epitheton esse non posse, ad supplendam enunciationem non cum Rupertio quidem proxime sequentia, sed longe infra adjungenda ratus hunc esse statuit loci nexum Nam praeter pelagi casus et fulguris ictum *Evasi* genus ecce aliud discriminis, ita ut, quae interposita sunt, parenthesi includantur omnia. De hac parenthesi postea dicitur; interim videamus, quid disputaverit contra Schmidium Madvigius Op. Acad. II p. 172: „Participium *evasi* frustra excusat, quod recte Weberus barbarum et inauditum dixerat; neque enim solum ab usu loquendi respicitur, sed ab analogia, quoniam hujusmodi verba, qualia sunt *evado*, *excedo*, *invado*, *pervado*, quamquam cum accusativo conjunguntur, tamen passive apud bonos scriptores non dicuntur; apud Palladium *invasus*, apud Ammianum *pervasus* legas, apud Tertullianum *excessus*. Sed ut sit bonum vocabulum, ineptissime tamen dicitur *ictus fulminis evasi*, quum *ictus* evitatus significetur, quasi *ictus sagittae vitatae* pro *vitato ictu* dixeris. Verissime igitur jam Pithoeus et nuper is, quem nominavi, Weberus ex uno Pithoei codice reponi voluerunt *Evasit*.“ Sat aperte non adeo intercessit summus ille grammaticae artis cognitor, quo minus participium *evasus* bonum haberetur vocabulum, modo ne jungeretur fulmen *evasum* vel etiam fulminis *evasi* ictus: alia igitur ac plane nova circumspicenda erit verborum structura. Quidni vero *evasi* epitheton esse statuamus amici, ut ante trepidantis adhuc horrendaque passi Nuper et incolumem sese mirantis, ita ut fulguris ictum *evasus* dicatur ad analogiam notissimae illius locutionis *tractus* vel *transmissus flumen* (cf. Zumpt. § 392)? Sic oritur sententia, ut nostro sermone utar: „Wegen der Rückkehr des annoch zitternden und Grauses erduldet habenden und über seine Rettung sich wundernden, weil (denn) ausser der Meeresgefahr auch dem Blitzstrahl entronnenen Freundes,“ vel ut postponamus, quae hic postponuntur „nämlich des . . . Entronnenen“. Desunt quidem talis particulae nam usus exempla, sed quot exstant in satiris vel insolitae vel etiam durae locutionis exempla! Sic forsitan sevrare liceat participium, servato ceteroquin loci nexu recentioribus ad unum omnibus probato, ita ut et pro etiam accipiatur, accusativus fulguris ictum non praepositioni praeter, sed participio subjiciatur, servato etiam post *evasi* puncto utique necessario. Cui autem justo audacius id esse videatur — nolo enim nunc pertinaciter repugnare — is cum recentioribus legat *evasit* ex Pithoeano. Ut autem largiar genuinam esse eam lectionem, quae tandem aut esse aut cogitari potest ratio idonea, cur librariorum praeter unum omnes defecisse putemus a lectione tam facili illa tamque aperta? Jure contra suspicari licet, emendasse correctorem illum pro ingenii sui acumine *evasit*, quum

de servanda lectione *evasi* omnino desperasset. — Jam nova sequitur enunciatio, nam coepit Noster describere tempestatem v. 18—9 *Densae* coelum abscondere tenebrae Nube una subitusque antennas impulit ignis. Arcissime haec verba, sed perperam, ut ostendi, junxit Rupertius cum prioribus. Inde gravior etiam error originem traxit. Nam cum praeter pelagi casus et fulguris ictum alia circumspiceret ac nova pericula, quo majus fieret discrimen, eo aberravit, ut non fulmen hic designari vellet igne subito, sed aliud quoddam phaenomenon „ignis, non fulguris, sed Helenae (Helenenfeuer, le feu Saint-Elme), electrica materia vel igneus ardensque vapor, qui praecipue post tempestatem in mari circumvolat et malo navis adhaeret; de quo v. Plin. II, 37.“ Uno ore rejectum id est ac reprobatum a recentioribus et optimo quidem jure, nam qui subitus antennas impulit ignis, quo se quisque percussam crederet, nisi fulmen esse nequit, cum fulmine percuti vulgaris sit locutio; similiter infra XIII, 25. Dissentiens a reliquis Schmidius totam periodum verbo *Densae* incipientem usque ad vocem *Tempestatem* parenthesi concludendam curavit, ut praecedentia Nam praeter pelagi casus et fulguris ictum *Evasi* jungere liceret cum sequentibus genus ecce aliud discriminis in unius enunciationis connexionem. Gravissime sic perturbatur et peremptitur, quem ipse poeta instituere voluit, ordo. Nam quae supra contra Rupertium disputata sunt, quodammodo etiam contra Schmidium valent, nec jungi debere fulguris *evasi*, nec opus esse supplemento, cum enunciatio illa, sive *evasi* legas sive *evasit*, plena sit et absoluta. His accedunt alia insuper jam notata a Madvigio p. 172 probante Jahnius Ztschft. f. Alterth. W. 1837 N. 104 p. 850, nullum hic esse insistentis et convertentis se alio orationis vestigium, nec apte tam longa parenthesi, quae ipsa duas periodos maxima interpunctione dijunctas contineat, interposita, ita continuari orationem, quasi nihil interjectum fuerit. Omnino igitur parenthesi hic non locus est, cum non deflectat sermo, sed uno tenore procedat. Jam enim depingitur, quae fulguris ictu Catullum petivisse dicta erat tempestatem. — Punctum utique in fine v. 19 ponendum esse duco, discrepans a plurimis editoribus, qui comma aut semicolon posuerunt ante v. 20—2 Quum se quisque illo percussam crederet et mox Attonitus nullum conferri posse putaret Naufragium velis ardentibus; nam plane novam hic enunciationem incipit particula cum ut infra v. 30 Quum plenus fluctu medius foret alveus, pariterque e sequentibus assumendum est supplementum. Contra qui particula cum sequentia cum praecedentibus jungat, prorsus non intelligo. Profecto immutata potius sententiarum et ratione et consecutione dicendum fuit „cum subitus ignis antennas impelleret vel impulisset, se quisque percussam credidit;“ et sic Teuffelium p. 108 loci sensum suoapte ingenio emendasse video, repugnantem tamen textui. Porro etiam pronomem illo documento est loqui hic poetam de subito, qui antennas impulit, igne ut menti suae jam remotiori. Quare qui satiras verterunt, aut particulae sensum recte quidem expresserunt ut Weberus et Bergius „Während,“ sed contra sententiarum nexum, aut in alienam rationem detorserunt ut Sieboldius et Düntzerus „so dass.“ Jure igitur Madvigius p. 173 Schmidium laudavit, quod descriptionem ictus puncto dijunxisset ab iis, quae pertinent ad ejus effectum demonstrandum. Eatenus igitur mihi cum Schmidio, cui praeter Madvigium etiam Jahnius et Doellenius adstipulantur, convenit, dissentio tamen in iis, quae ad supplendam enunciationem assumi debeant. Profecto enim, quae proxime sequuntur *Omnia* fiunt *Talia*, tam graviter, si quando poetica surgit *Tempestatem* huc trahi nequeunt, scilicet vel maxime adversatur praesens fiunt et surgit. Non mirum igitur, quod spreta ejusmodi enun-

ciationem inter sese discrepantium conglutinatione cum Hermanno p. 80 nuperrime Ribbeckius p. 78 restituit punctum ante Omnia, restituto tamen una commate post ignis, ita ut vetus ordo rediret. Sed prorsus intolerabilem eum esse, pro certo stat; quaeritur ergo, unde manca illa enuntiatio suppleatur. Egrege de loci nexu disseruit Doellenius p. 185, vere autem affirmare possum excogitatum esse novam instituendi loci rationem a me ipso, non adoptatam ab illo. Scilicet et ipse verba genus ecce aliud discriminis jungenda esse arbitror cum enuntiatione illa Quum... crederet. Sic demum protasis suam habet apodosin. Quae autem interjacent verba Omnia... Tempestas, pro interpositione habenda sunt, quod loquendi genus frequentissimum est in satiris. — Parenthesi includenda esse verba v. 22 — 4 Omnia fiunt Talia, tam graviter, si quando poetica surgit Tempestas, quo et ipsa dissolvantur e nexu parum consentaneo et proxima arctius jungi possint cum infra dictis, jam monui: sequitur, ut de ipsius loci sensu, quidque potissimum exprimere volnerit poeta, paullo fusius dicamus. Duplex ab initio impedimentum fuit, quominus recte haec intelligerentur ab interpretibus. Primum e prava verborum cum antecedentibus junctura factum est, ut continuari putaretur rei narratio nullo praesentis fiunt respectu habito. Deinde longe diffusa et fuit olim et etiam nunc est opinio, tangi hic a satirico illius temporis poetas. Praeivit hanc Rupertius, dum II p. 659 facete locutum esse Nostrum ait, ut Lucianum Opp. Tom. III p. 405 ed. Schmid. „ποιητικοῦ τινος ἀνέμου ἐπουράζοντος τὰ ἀκάτσια. Τίμον πρ. οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ . . . κακὸς ποιητικὸς.“ Inde carpere videbatur Webero p. 347 Juvenalis hoc loco ut sat. I, 7 sqq. obiter suae aetatis poetas, qui gravitatis et sublimitatis ostentandae gratia cupide arriperent suis carminibus tempestatum descriptiones et omnem artem in iis immoderate depingendis collocatam arbitrarentur. Vel longius abreptus etiam prioribus et posterioribus rideri vult Schmidtus p. 257 plurimos poetas inanem in frequentibus post Homerum Vergiliumque ejusmodi rerum descriptionibus gloriolam sectantes; et a reliquis quoque interpretibus aut discrete repetitum id aut tacite adoptatum esse video. Scilicet colligitur id ex uno adjectivo poeticus, cum nulla alia in textu deprehendantur ejus vituperationis indicia; hoc tamen argumentum, quale sit quamque infirmum, nemo non videt. Nec potuit ita ex abrupto Noster invehi in sui temporis scriptores, aut si voluit, sic certe loqui debebat, ut a legentibus sine difficultate intelligeretur. Nec provocare licebat ad primae satirae locum, ibi enim satiricus a principio coeperat, quorum auditor ipse saepissime fuerat, raucum Codrum, qui que ingentem Telephum composuerat et infinitum Orestem: at nostro loco sui aevi poetas vel poemata ne verbo quidem attingit. Porro quae tandem ista est exuberantis descriptionis vel reprehensio vel irrisio, si poetica tempestas non solum surgere aliquando, verum etiam tempestatem, qualem hic accidisse Catullo legimus, aequare tantum, non superare dicitur? Profecto enim talis tempestas non veritatis, nedum verisimilitudinis modum excedit. Quapropter missam faciamus illam de aequalium poetarum invectione opinionem ac teneamus id unum egisse satiricum, ut, quam hic expertus esse narratur Catullus tempestatem, in majus extolleret comparando cum tempestate poetica. Vellem tamen paullo apertius et strictius dixisset sermone devincto, quae soluto sic fere simpliciter dici potuerunt: Omnia fiunt vel potius fiebant talia, tam graviter, qualia, quam describuntur a poetis. Consulto vitasse hic dixeris poetam simplicissimam dicendi rationem, quo sudare cogentur interpretes. Nempe ipsa habet comparatio nescio quid detortum vel adeo perversum; est enim servata librorum lectione si quando molesta quaedam inversio. Non mirum igitur, quod in diversas partes abierunt docti. Rupertii II p. 639 haec est opinio: „Si (ali)quando poetica surgit,

exoritur, tempestas h. e. atrox et saeva tempestas fingitur aut describitur a poetis rem exaggerantibus.“ Loqui vult poetam in universum, ita ut praesens fiunt hujus loci sit; sed non sufficiunt, quae de surgente tempestate dicuntur, nam surgit omnino tempestas, etiamsi poetica sit, tum demum, si re vera oritur, non fingitur tantum. Auctore Schurzfleischio Weberus scribere maluit quam quando et scholiastam quoque, nescio quo jure, sic legisse opinatur. Sed ipsum faciamus loquentem: „Poeta, ne ipse longius naufragii pericula exponat, hac faceta orationis forma utitur, quasi dicat, ut prosaici scriptores solent: quid multa? ne longus sim in augendis iis, quae Catullus atrociter peressus est, eadem in sublimibus poetarum nostrorum tempestatum figmentis enarrata inveniuntur. Verum ubi Vulgatam lectionem si quando excipias, alia existit sententia, nec satis apta huic loco, nec gravis admodum satiricae dicendi rationi. Lectores enim tum non ad naufragiorum descriptiones illo tempore Romae pervulgatas ablegantur, sed admonentur tantum a Juvenale, eadem naufragii mala, quae a v. 17—22 exposita sint, repeti in declamationibus, si quando atrox et saeva tempestas fingatur a poetis.“ Sed invehi in sui aevi poetas Noster hic ne animum quidem induxit, ut supra accuratius demonstravimus. Nec veresimile est, quod Schurzfleischius p. 155 notavit, in primigenio exemplari fuisse QUANDO; majores litteras notasse syllabam bis legendam: sed exscriptores ut saepe in bonis auctoribus, rei non attendisse: ut tamen verum consulerent, si quando posuissent, Suffragatur ei Heinrichus in commentariis p. 444: „Ein Lob für den poetischen Sturm bezweckt der Dichter nicht. Nur der Sinn wäre passend: „Alles geschah so schrecklich, wie in einer poetischen Beschreibung; der poetische Sturm war hier völlig realisiert.“ Dann muss es heißen quam quando; fiunt für das Imperfectum darf Niemandem anstößig sein.“ Jure praesens sic pro imperfecto poni posse Weberus rec. N. J. B. f. Phil. XXXII 2, p. 149 negat, sed quae ipse de suo addidit: „Es ist der höchste Grad ironischer Bethuerung statt: „einen solchen Sturm zu schildern, müssen unsere Poeten, so sehr sie mit dergleichen Gemeinplätzen bei der Hand sind, wohl bleiben lassen“ tam inepta et absurda sunt, ut refutatione non indigeant. Accessit autem postea Madvigius p. 173 gravis auctoritas, qui Weberi pedisequum sese proficitur: „Facile omnes sentient, extrema haec exitum non habere, quum et comparationis, verbis talia et tam significatae, alterum membrum desit, et illud si quando, quo referatur, non habeat.“ Quominus vero hanc esse statuamus loci sententiam, triplex vetat ratio. Primum enim praesentis loco fiunt imperfectum stare debebat eoque magis, quod arctissime haec verba a recentioribus junguntur cum antecedentibus. Deinde fulcitur lectio si quando omnium librorum auctoritate nec credibile est, quod Schurzfleischius protulit. Tum nescientes illi verbi surgere intellectum plane alio detorquent; opinantur enim decepti ambiguitatis quadam specie id exprimi: „quando tempestas describitur a poetis,“ ita ut fictitia tantum designetur. Sed ita potius accipi debent verba: „Quando surgit i. e. re vera oritur Tempestas poetica i. e. qualem describere solent poetae.“ Tum vero vel id offendit, quod surgere alias quoque interdum dicitur poetica tempestas; merito enim expectaveris substituisse in eo poetam, ut diceret, tandem aliquando surrexisset tempestatem poeticam. Ferri posse particulam conditionalem Jahnius in censura Zeitschrift. f. Alth. W. 1837 No. 104 p. 850 contendit, victus tamen, ut videtur, rationibus a Madvigio p. 174 not. 1 prolatis in editione ipsa quam quando scripsit. Et nobis quoque persuasum est tolerari non posse ejusmodi ἀποσιώπησιν, qualem Jahnius illic statuit, et inversionem orationis sententiaeque nullo indicio significatam, ita ut demonstrative ponatur res ad comparandum adscita. Nec arident, quae a Schmidtio p. 257 disputata sunt, jure reprehensa a Madvigio: „Lepide,

quae sensu carent, excusat Schmidtius. Nam et apud Ciceronem ad tum particulam ut hic ad tam referri si quando („utinam tum essem natus, si quando Romani dona accipere coepissent,“ de Off. II, 21). Itaque ex eo, quod Latini particulae demonstrativae definitae subjiciunt relativam non definitam, prorsus ut dicunt is, si quis, sequitur, dici etiam tam-si pro tam-quam! Deinde addit interpretationem Germanicam hujusmodi: „alles geschieht in gleicher Weise so fort, wenn einmal ein Sturm sich bei den Poeten erhebt!“ Sunt enim, qui putent, se, quum Latinis absurdis absurda Germanica adjecerint, illa praeclare defendisse. Sententia orietur, si addideris als (als wenn).“ Maluerunt tamen in tam ancipiti re taciti restituere si quando Hermannus et Ribbeckius. Parenthesi includenda esse omnia . . . tempestas, recte judicavit Doellenius p. 187, quae autem ad excutiendum loci sensum insuper addidit, fere nihil ad rem faciunt. Refutavit omnes adhuc interpretandi rationes a prioribus in medium prolatas: jam quod nobismet ipsis videatur, paucis exponendum erit. Confiendum autem nostra quidem sententia eo est, ut quae ab omnibus cum sequentibus juncta fuit particula conditionalis, jungatur cum praecedentibus. Dura sane haec est verborum collocatio, sed certis fulcitur documentis (vid. III, 173 Ipsa dierum Festorum herboso colitur si quando theatro majestas. XIII, 230 Praeterea lateris vigili cum febre dolorem Si coepere pati. XVI, 37 convallem ruris aviti Improbus aut campum mihi si vicinus ademit.) Existit igitur hic verborum nexus: Si quando omnia fiunt Talia, tam graviter, qualia hic facta esse modo narraui, poëtica surgit Tempestas, ut vernaculo sermone utar: „Wenn mal Alles in solcher, in so schrecklicher Weise hergeht, kommt ein poetischer Sturm zum Ausbruch, wird zur Wahrheit.“ Ita si interpretemur, et praesens fiunt suo hic intellectu accipitur et codicum lectio si quando servatur et verba poëtica surgit Tempestas intelliguntur, ut debent intelligi, denique sententia oritur interpositioni, qualem hic esse diximus, vel maxime accommodata. Nec minus tollitur molesta illa, ne dicam inepta comparationis inversio, qualis ab iis et solet et debet sane statui, qui si quando ad sequentia traxere, ac justa restituitur ratio. Sic, quem inextricabilem esse non pauci voluerunt, nodum solvisse mihi videor. — Verba v. 24 genus ecce aliud discriminis: audi Et miserere iterum jungenda esse cum supra dictis Quum . . . crederet et putaret jam exposui Doellenio ad stipulatus: disputandum tamen erit contra eundem de discriminis genere; nempe vult p. 187 submergendi periculum designari. Sat aperte tamen Noster hic de plane novo necdum audito discrimine loquitur; contra illud periculum in praecedentibus identidem memoratum erat, nam is est v. 17 pelagi casus, id etiam v. 22 Naufragium comparatum cum velis ardentibus. Duplex igitur jam notatum erat discrimen, naufragium et incendium navis, sequitur tertium genus idque prioribus diversum. Deinde sententiam illam non admittit, quae annectitur enuntiatio restringens, nam cetera, quae jam narabuntur, in bonorum jactura consistunt nec apte, quae Catullo imminet aut putatur imminere submergendi periclitatio dicitur Sortis Ejusdem pars dira, cum ipsum potius sit summum discrimen. Nec de submerso postea sed vivo adhuc naufrago sermonem fieri docent v. 27—8 Et quam votiva testantur fana tabella Plurima: Catullo autem infra v. 29 similis fortuna accidisse dicitur. Ex his omnibus manifestum fit poëtae in animo fuisse bonorum jacturam. Disjunctum esse imperativum Audi a praecedentibus majori distinctione probe Madvigius animadvertit: injuria tamen recentiores distinctionem eam sustulerunt. Bene conciliari inter se vix possunt ecce et audi; absolute autem hic imperativus etiam VI, 220 stat. — Quae modo dixerat

de alio discriminis genere iterum miserando, jam aliquatenus revocat v. 25 sqq. quamquam sint cetera sortis Ejusdem: pars dira quidem, sed cognita multis. Multifariam hic a priscis editoribus cum in explicando tum in distinguendo erratum est. Quod Rupertius II p. 639 notavit „sortis ejusdem non minus tristia,“ neque verborum rationi neque particulae convenit quamquam ac merito rejectum est a Madvigio p. 174 „tum non contraria haec sunt, ut poni quamquam debuerit, sed confirmant superiora.“ Magis etiam a vero aberravit Heinrichus II p. 444, qui genus aliud discriminis de submergendi periculo dici temere opinatus huc referri voluit, quae ad cetera potius pertinet pars dira quidem, sed cognita multis. Substitit in eo Schmidtius p. 259, ut ad ejusdem pronomen cujus (IV, 94. XIV, 30. 122.) subaudiendum esse contenderet, interrupto autem interiore verborum nexu, cum post ejusdem comma posuisset, verbum pars plane novo et inaudito sensu acciperet, perperam laudatis locis IX, 120. XV, 133. Prorsus ineptum tamen est, quod ad confirmandum iterum dixit „nempe sine dubio idem semel jam narrantem andiverat Catullum ipsum.“ Scilicet cum irrisione quadam multiplicis periculi Noster iterum dixit, cum minus sint miserabilia, quae infraarrantur. Veram loci interpunctionem apernit Madvigius p. 174 „Miror sane, non attendisse editores ad eam vocem, quae sequitur, prorsus mire et nude posita, pars. Apparet enim, haec sic continuari debere: quamquam sint cetera sortis Ejusdem pars dira quidem, sed cognita multis. Poëta tamquam nimis graviter miserere iterum dixerit, haec, quae additurus est, de bonorum jactura, dira illa quidem ait esse, sed tamen partem et quasi appendicem ejusdem sortis, naufragii et periculi maritimi, multis notam.“ Malim tamen equidem, paullulum discedens a Madvigio, minori signo post pars incidere. Nam sic demum optime consultum sit sententiarum nexu. Scilicet duplici ratione restringit Noster, quae paullo ante locutus erat: primum illud genus aliud discriminis per sortis ejusdem pars, deinde miserere iterum per adjectivum dira quidem, sed cognita multis, ita ut, quae illic est disjunctio, etiam hic sit. Acrius sic et apertius fit antitheton, si antecedenti genus aliud discriminis nude opponitur sortis ejusdem pars, sequitur dira quidem, sed cognita multis appositum instar. Itaque sic potius distinguendum sit quamquam sint cetera sortis Ejusdem pars, dira quidem, sed cognita multis. — Secundis curis pervestigandum duxi locum jam ante tractatum v. 30—3 Cum plenus fluctu medius foret alveus et, jam Alternum puppis latus evertentibus undis Arboris incertae, nullam prudentia cani Rectoris cum ferret opem, non iterum de lectione arboris incertae multum conclamata, sed de rebus quibusdam minoris momenti dicturus. Quo trahenda sit particula jam, quaeritur. Editorum alii post jam inciderunt, quo interposito ablativo consequentiae jungeretur cum infra sequentibus cum ferret opem; alii nulla omnino distinctione posita rem in medio reliquisse videntur. Rectum nostra qualicumque sententia vidit Schmidtius p. 260, qui commate ante jam posito particulam ablativo absoluto adjunxit. Ita certe maximam vim habet; in eo enim, quod alternum puppis jam fluctu plenae latus evertant undae, cernuntur „discriminis ultima.“ Similiter jam, quum ad vocem aliquam sequentis versus refertur, in fine prioris positum, occurrit XIII, 9. XIV, 16. v. Kirchn. Hor. sat. p. XXXIV. Quam ob rem et pse ante jam incidendum curavi. Reliquum est, ut de lectionis varietate pauca dicantur. Praebent libri Vulgati cum ferret, contra in Pithoeano conferret, quod nuper admodum ab Hermanno et Ribbeckio receptum video; sed repetiit particulam cum ut hic Noster etiam III, 93 quum . . . aut quum. VI, 458 cum . . . et cum. VIII, 158 quum . . . et quum, nec usquam (quantum

scio) junctim conferre opem reperitur. Accedit quod alias quoque in Pithoeano cum et conmiscetur cf. VI, 577 et XIII, 153. Jure igitur Jahnus p. 131 sprete Pithoeani auctoritate Vulgatam restituit. — Vexarunt interpretes multiplici ratione versus 53—6 tunc adversis urgentibus illuc Decidit ut malum ferro submitteret, ac se Explicat angustum: discriminis ultima, quando Praesidia afferimus navem factura minorem. Quod Pithoeanus habet recidit; vulgare est apud scriptores aetatis aureae: ob id ipsum tamen haud scio an e correctione profectum. Sed usurpari sic etiam deciderê jam Heineckeus Anim. in Juv. p. 101 contra Rupertium evicit; cf. Tacit. Ann. III, 59. Plin. Ep. 4, 11. Non est igitur, quod Vulgatam spernamus cum recentioribus. Porro disceptatum est inter doctos de tempore verbi. Heineckeo non bene procedere videbatur constructio, si perfectum acciperetur, praesens igitur maluit esse Decidit, licet sequente imperfecto submitteret, laudavitque Curtium ad Sall. Cat. 44. Sed ut probabilis sit ejusmodi temporum consecutio, tamen cur a simplicissima ratione deflectamus, nihil est. Sat manifesto praesens esse maluit ille ob praesens, quod sequitur, explicat. Sed cum emphasi, si quid video, perfecto succedit praesens: „Und nun löst sich die Schwierigkeit.“ Fuerunt etiam, qui in particula ac haerent. Voluit igitur, quo facilius procederet sermo, Heineckeus hoc legere puncto anteposito, idque etiam Webero p. 353 placuit. Sed non opus est correctione. Nam per particulam ac alias quoque in satiris transitus fit ad novam rem cf. XIV, 295. Vel cupidior novandi Heinrichus II p. 447, cum de latinitate locutionis se explicat angustum ambigeret, hac re legit, ut, qui antea malum summisisse dictus erat rector navis, idem explicare angustum diceretur. Sed latine id dictum esse, ecquis negare ausit, qui sobrio utitur iudicio? Jacobsii dictinctionem Hoc se Explicat angustum discriminis, ultima quando Praesidia afferimus et interpretationem „In eo apparet summum discriminis, quando quis sponte pericula auget malum succidens et praecipitans, navemque adeo ea parte privans, sine qua alias ne navigari quidem posse videtur“ merito jam Heineckeus rejecit. Primum enim displicet junctura discriminis angustum, deinde verba ac vel hoc se explicat angustum ad rem pertinent, quae narratur, nec in universum dicta sumi debent. — Attinguntur strictim Romae urbis primordia v. 70—3 Tum gratus Iulo, Atque novercali sedes praelata Lavino, Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen Scrofa dedit, nam gratus Iulo apex ac praelatus novercali Lavino est mons Albanus, cui nomen inditum esse Vergilius Aen. III, 389 sqq. canit a candida scrofa. Utrum Vulgatam tum an Pithoeanam tunc recipiamus, nihil sane differt; quod autem commune habent omnes libri MSS. Lavino, non mutare debebat Jahnus p. 132 (Rooy spicil. crit. p. 57. Santen. ad Terent. Maur. p. 429 sqq.) in Lavinio. Minime me fugit passim apud Nostrum occurrere synzesis exempla velut IV, 37 „semianimum.“ VI, 82 „Iudic.“ XV, 27 „Junio:“ at vero cur codicibus repugnemus praeter necessitatem, cum scriptura Lavinum pro Lavinio firmetur testimoniis (Tibull. II, 5. 49. Verg. Aen. I, 2 Heyne) licet addubitatis, vix ulla sit ratio idonea. Nec aliter Hermannus praef. p. XXX: „si maxime ipse Vergilius Lavinia scripserat, jam Juvenalis aetate esse poterant, qui breviori forma reconditae eruditionis speciem affectarent.“ Ceterum hyperbaton hic esse, quale raro deprehenderetur apud veteres scriptores, probe Heinrichus II p. 448 animadvertit; nam interrumpit et disjungit v. 71 Atque novercali sedes praelata Lavino continua unius enunciationis membra gratus Iulo et Conspicitur sublimis apex, nec transponendo hic medela afferri potest. Simile dicendi genus nondum satis intellectum ab interpretibus

est supra VII, 15 sqq. faciant equites Asiani, Quamquam et Cappadoces faciant equitesque Bithyni, Altera quos nudo traducit Gallia talo; non enim ab Asianis discernuntur Cappadoces et Bithyni, cum et ipsi Asiani sint, sed ab Asianis, quos Altera Gallia misit i. e. Galatis. Quo autem aperiatur, quae versibus intercedat ratio, utendum erit parenthesi. — Excidisse in Pithoeano, ut III, 164 mergunt. VII, 22 spectanda. v. 162 liberat. VIII, 168 scripta. XIV, 24 scripta, primam verbi syllabam puto v. 77 Tandem intrat positas inclusa per aequora moles Tyrrihenamque pharon porrectaque brachia rursus, Quae pelago occurrunt medio longeque relinquunt Italiam; is enim habet currunt, quod Webero p. 102 arrisit. Jure reliqui omnes Vulgatam occurrunt servarunt; sed de sensu compositi non idem omnibus persuasum fuisse videtur. Rupertii II p. 258 explicationem „quae alto mari in cornua quasi coeunt“ reprehendit Heinrichus II p. 450 nec immerito; poetae mentem tamen et ipse non attigisse videtur „occurrunt sprachrichtiger und poetischer: stemmen sich entgegen.“ Nam de obnitentibus mari vel reluctantibus molibus minus Nostrum cogitasse existimaverim, quam de appropinquantibus pelago medio vel mari summo, quo longitudo molium adumbraretur, eoque magis id compositum hujus loci est, quod, quae moles intrat navis, ex alto mari venit. Ad porrectaque brachia rursus cf. Suet. Claud. c. 20 „circumducto dextra sinistraque brachio et ad introitum profundo jam solo mole objecta.“ Laudavit Schmidtius p. 264 Ovid. Met. XI, 230: „Est sinus Haemoniae curvos falcatus in arcus; Brachia procurunt.“ — Nil moraturum esse ait Pacuvium Histrum quippe heredipetam v. 112—4, quin illud ebur ducatur ad aras Et cadat ante Lares Gallitae victima sacra, Tantis digna Deis et captatoribus horum, dummodo heres scribatur. Vulgati libri habent sacra et convenit id epitheton non solum aris et Laribus ante dictis, sed etiam tantis Deis infra positis, nec languet, cum victima sacra opponatur Laribus Gallitae, nam dedita opera paulo elatiore dicendi genere hic utitur, ut heredipetam illudat, quippe qui divitem matronam divino colat honore. Aequae efficacem hic esse Pithoeani lectionem sola recentioribus acceptissimam, lubens equidem concedo, nam sola dicitur ea victima digna esse tantis deis, at cur praefatur, non video. Variat in editionibus distinctio, prout victima sacra aut subjectum habetur novae enunciationis — et tali modo saepius in satiris subjectum mutari, vel locus supra tractatus v. 13 sqq. testimonio est — aut appositum eboris, licet elegantius victimam dici cadere ante Lares pateat. Qui autem sola legunt, post victimam incidere debent, quo arctius epitheton cum sequentibus jungatur, ut jam Heinrichus II p. 455 notavit. Ceterum quod hic ante Lares Gallitae talis victima cadere dicitur, illum non offendere debebat; affectat enim magniloquentiam Noster. — Quin etiam, progreditur dein v. 115—17, vovebit De grege servorum magna et pulcherrima quaeque Corpora. Scripsit jam Rupertius magna aut pulcherrima quaeque, quo a positivo per gradationem (oder gar) transiretur ad superlativum, isque consentientem habuit Hermannum, qui Pithoeani lectionem ut mutavit in aut. Et facile quidem fieri potuit, ut excideret littera a, praesertim cum magna antecederet, sed quid tandem proficit sententia loci? Displicet enim illa gradatio nec improbabilius Heinrichus II p. 455: „aut hat fast keinen Sinn, et ungleich besser. „Die grössten und schönsten Stücke.“ Magna in dieser Verbindung bemerkenswerth für maxima.“ Jure igitur nuper admodum Ribbeckius et restituit.

Restant etiam in Satira quarta decima, quae mali exempli vim maxime in pueros vel adolescentes ostendit, permulta adhuc vel critico emendanda vel illustranda interpreti. Variat tem-

pus verbi v. 7 Nec melius de se cuiquam sperare propinquo Concedit juvenis, nam in Pithoeano legitur concedet; nec adeo adversarer equidem, quominus futurum poneretur cum recentioribus, quamquam bis praesens antecessit ludit et movet, nisi saepius ibi intempestive et futurum pro praesenti et praesens pro futuro deprehendi animadvertissem; cf. ad v. 296. Pithoeanam scripturam gylae Jahnius p. 146 in Vulgatam gulae mutavit: recte quidem, sed vellem pariter mutasset supra I, 16 et II, 26 Syllae in Sullae. — Vix majoris momenti habenda est, quae paullo infra occurrit varietas v. 10—1 Quum septimus annus Transierit puero, nondum omnidente renato. Tolerabilem esse accusativum puerum, a recentioribus ex Pithoeano receptum, vix quisquam infitiabitur; magis tamen arridet, qui Vulgatis libris firmatur dativus puero, quippe qui speciem quandam dativi ethici vel commodi certe prae se ferat huic loco convenientem. Nec opus igitur est cum Rupertio vocem trahere ad sequentia admoveas magistros; immo simplicius ea et melius cum prioribus jungitur. Ceterum alias quoque in Pithoeano fluctuant terminationes o et um; cf. IV, 25. VI, 65. Graviter perturbavit loci nexum Schmidius p. 66, quum haec verba annecteret praecedentibus commate post gula posito, post renato puncto. — Multiplici ambiguitate laborat locus v. 15—8 Mitem animum et mores modicis erroribus aequos Praecipit atque animas servorum et corpora nostra Materia constare putat paribusque elementis, An saevire docet Rutilus? Sic omnes hodie scribunt tacito quodam consensu; sed licebit opinor fidem textus addubitare. Lectio animas ab omni codicum auctoritate videtur destituta esse; nam Rupertius I p. 207 et Jahnius p. 147 omnino tacent, quae autem Francogallus ille I p. 495 nuntiat minus bene multos codices habere animos, non magni sunt ponderis habenda. Jure igitur suspiceris, veram lectionem esse animos, stabilitam eam librorum fide, spretam tamen ab editoribus, quum huic loco non satis convenire videretur. Nec temere id; enimvero minus bene quam animas dici animos, ut corpora, materia constare, cuilibet apertum est, licet quae subsequuntur paria elementa tali subjecto accommodatiora esse appareat. Juncturae igitur loci magis consentaneae esse videntur animae, praesertim quum alias quoque animam et corpus jungi legamus; sic Sall. Jug. 2 „genus hominum compositum est ex anima et corpore,“ Lucret. III, 858 „conjugio Corporis atque animae consistimus.“ Scilicet vulgo id statuitur esse discrimen, ut anima inferior habeatur, quippe animantibus quibuscunque innata, animus humano tantum generi proprius sit ac peculiaris: Sen. Ep. LVIII, 11 „quaedam (animantia) animum habent, quaedam tantum animam.“ Discernit Lucretius III, 168 animum et animam, ut nos „Geist und Seele.“ Et quomodo inter se differant ex Nostri sententia anima et animus, docet locus infra XV, 149 „animalibus tantum animas, nobis animum quoque indulsit mundi conditor.“ Servavit quidem animos, servata ceterum verborum junctura omnibus probata, Schmidius, at justis argumentis illustrare sententiam suam ac stabilire supersedit; immo columnina substruxit spretae lectioni locis ex ipso Juvenale haustis. Licet tamen etiam jungere animos et corpora, nam ejus quoque juncturae praesto sunt exempla; cf. Cic. Tusc. I, 22, 52. Id. r. p. VI, 24, 26. Disp. Tusc. I, 9, 18. pr. Arch. VI, 13. Liv. I, 9; nec nobis quidem aut improbabile aut incredibile videtur esse, quod servis hic Noster et animi et corporis communitatem adjudicat cum liberis, ita ut codicibus obviam ire non opus sit. Cui autem aequo durius id esse videatur, is prorsus immutata sententiarum connectione verba atque animos cum praecedentibus jungat, ita ut animi hic sint „Erregtheit, Zorn.“ Sic Vergilius, ut unum saltem exemplum afferam, Aen. II, 755 de Aenea: „Horror ubique animos

simul ipsa silentia terrent;“ ita ut hic sensus oriatur: „Schreibt etwa ein mildes Gemüth und billigen Sinn und (billige) Gereiztheit gegen unbedeutende Versehen Rutilus vor oder lehrt er wüthen?“ Et solet Noster rhetorica quadam ascensione plura jungere verba idem vel simile quid significantia ut II, 1: „Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glaciale Oceanum;“ coacervare autem exempla nihil nunc attinet. Atqui facile corrumpi potuit a librariis animas in animos, nec ego is sum, qui unam mutare literulam contra codicum auctoritatem horream atque refugiam; malim igitur subsistere in eo, ut tolerari hic posse animos contendam, si quidem genuina fuit ut videtur esse codicum lectio. Jam videamus de reliquis. Cum emphasi autem genitivus servorum praepositur particulae et ut infra v. 290 tanti et. Pronomen nostra sitne sextus casus an quartus quaeritur. Licet enim jungere cum ablativo materia, licet etiam cum accusativo corpora. Hoc alterum si statuas, ita ut servorum et corpora nostra jungantur, desit autem copula, ex sequentibus petendum erit epitheton pari nec desunt hujus locutionis exempla; voluit etiam pari legere pro putat Wakefield. ad Lucret. III, 375. At multo potius sit jungere nostra materia, ut jam Heinrichius II p. 477 docuit: „Nicht corpora nostra, sondern nostra materia i. e. eadem, qua nos.“ Nec igitur opus est correctione. Esse hoc satiricorum maxime, pronomina et conjunctiones atque omnino ejusmodi vocabula, quae proprie cum alio aliquo arctissime cohaereant, ita inter se dispescere, ut alterum in fine prioris, ab initio sequentis alterum sit collocatum, idque vel cum aliqua ambiguitatis suspicione, docet Schmidius p. 300 laudatis locis I, 97. II, 146. 159. III, 157. VI, 25. Revocatur ita, quae hic est servorum cum liberis comparatio, ad corpora. Age autem animadvertas, quaeso, quodammodo huic nostrae explicationi adjumento esse, quae infra leguntur. Scilicet saevit in corpora servorum Rutilus, qui gaudet acerbo Plagarum strepitu et nullam Sirena flagellis Comparat. Nec aliter Macrobius Sat. I, 11: „Quasi non ex iisdem tibi et constent et alantur elementis,“ i. e. servi. — Quaerit poeta v. 24—5 Quid suadet juveni laetus stridore catenae, Quem mire afficiunt inscripta, ergastula, carcer? Rusticus exspectas, ut non sit adultera Larga Filia? Bis locus in priscis editionibus male distinctus fuerat. Corrector exstitit Doederleinus in „lectionum variarum ogdoade“ Erlangae 1835 iterumque in censura editionis Heinrichii Münch. Gel. Anz. 1841 No. 125 p. 1001 proposita; recentiores tamen etiam nunc falsa sectantur, ita ut repeti hic, quae illic disputata sunt, res ipsa postulet. Quam enim summus ille vir dissolvi jussit verborum juncturam carcer rusticus, nuper admodum a Schmidio revocatam esse video. Nec minus cum Jahnio p. 147 Hermannus p. 91 et Ribbeckius p. 88 inscripta ergastula junxere. Ipsum igitur Doederleinum inducimur loquentem: „inscripta ea putent interpretes ergastula dici, quae inscriptis servulis sive quorum frontibus notae stigmatibus inscriptae vel inustae sunt. Paterer — quamquam non facile, nam inepta quodammodo est ea junctura — nisi in promptu foret, inscripta substantive interpretari, quoniam inscriptiones versus aspernabatur. At vero pessumdatur concinnitas, quum sequatur carcer Rusticus. Sed quis est ille carcer? Praecipue durum autumant interpretes, quoniam vinciti catenis ruri opus exercebant servi. Sed quid hoc ad carcerem? Solebant servi poenae causa rus sane relegari, ubi duros subirent labores; id autem non in carcere fiebat, sed sub divo. Denique labores rustici suapte natura duriores erant urbanis; carcerem rusticum urbano duriorum fuisse sine testimonio non credam. Quid multa? Distinctione locus laborat, ita scribendus: inscripta, ergastula, carcer? Rusticus exspectas, ut non . . . Larga Filia, quae cet. (pro vulgari distinctione). Ea ratione, ut epitheton carceris languens removeretur, ita hoc simul

proficitur, ut novum ac tertium exemplum, ut fas erat, a novo et integro versu incipiat, perinde ac v. 15 de altero exemplo factum est. Ac mirum hercle, neminem dum in eam emendationem incidisse, qui memoria teneret Horatianum illud Juvenalis imitatione expressum: „Rusticus expectas, ut defluat amnis.“ Tam vere haec omnia et eleganter disputata sunt, ut addere insuper de meo verear. Disjungenda igitur erunt et inscripta ergastula et carcer Rusticus. — Anceps et lubricus est locus v. 38—40 Abstineas igitur damnis; hujusce etenim vel Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur Ex nobis geniti. Legitur in omnibus libris Vulgatis ac priscis editionibus damnis, spreverunt tamen id editores inde a Rupertio, qui l p. 268 damna quidem esse „scelera quae tibi liberisque tuis exitio sint“ agnovit, praetulit tamen lectionem damnandis, a recentioribus dein e Pithoeano adoptatam. Qui autem unus e prioribus in codicum auctoritate acquievit Achaintrius addita interpretatione „turpibus inhonestisque factis,“ nesciens ipse in contrariam partem abiit, nam ea potius sunt damnanda. Commodiorem esse et faciliorem Pithoeani lectionem vix quisquam infitias ibit, sed Vulgata quoque bonum efficit sensum, ita ut correctione abstinere liceat. Defendit eam Schmidius p. 301 sq., falsa tamen immiscuit nec debebat „vulgaris constitutionis inconcinnitatem atque adeo cogitandi perversitatem“ incusare. Sed loquatur ipse: „Nemini debuit dubium esse, quin damnis ex libris in pristinum jus restitueret, nam hic quoque librorum illorum auctoritas optime sensu locique ratione sustinetur. Ac primum quidem nec damnorum neque hicce pronominis vim ac potestatem persenserant, unde aut ea ipsa de causa aut ex interpretatione marginali vel interlineari damnanda, vere illud damnandum, illius locum occupavit. Verum enimvero si quis ad veram subtilemque rationem et eorum, quae ante et quae post dicuntur, et vero totius satirae consilium excusserit, is non potest non videre, in hac civium scelera non exagitari ideo, quod per se sint mala, sed quod parentum vitia damno sint filiis, hoc ergo modo ratiocinatur Juvenalis: Tu si non poteris prorsus abstinere vitiis, at eatenus abstineto, quatenus damno sunt filio tuo (quod in sequentibus ultra pertextitur) nam hocce, *σοφρῆς*, id est, tantum certe a te impetrabis, ut filio nocere nolis, nam humano generi universo id dedit natura, ut iis bene cupiamus, qui ex nobismet ipsis sunt geniti.“ Sunt in his nonnulla vere dicta, plura tamen vel aliena vel etiam cupidius arrepta, quae enumerare hic ac percensere omnia putidum sit. Mallem paulo acrius percepisset intellectum damnorum ac diligentius sensum et rationem limitationis vel una potens ratio est exposuisset, nam in hoc cardo rei versatur. Profecto enim, si jubetur pater abstinere damnis i. e. ne filio noceat, quae sequitur restrictio omnino non est hujus loci. At latiore sensu nec solo liberorum respectu dicuntur hic damna, quod e malo exemplo multi detrimentum capiunt, nec solum qui pater est tenellos ex se natorum animos sed aliorum quoque corrumpit. Sic demum, opinor, tolerabilia hic fiunt damna: „Hüte dich also Schaden anzurichten; denn dazu ist schon ein triftiger Grund, dass nicht unserem bösen Beispiele unsere Kinder folgen.“— Mox sequuntur v. 44—6 Nil dictu foedum visuque haec limina tangat, Intra quae puer est. Procul hinc, procul inde puellae Lenonum! Jure lectionem pater jam ante impugnata a me nuper admodum sprevit Ribbeckius p. 89 ac restituit Vulgatam puer, ita ut ampliori disceptatione supersedere liceat. Contra idem cum Jahnio p. 148 et Hermanno p. 91 postea procul ah, procul inde puellae legit, eo tantum discrimine, quod comma post ah posuit. Testatur Jahnus legi in Vulgatis hac, in Pithoeano ac, vix ullo discrimine, quum aspirata saepius ibi desit; sed repugnant, quae a Rupertio l p. 268 et Achaintrio l p. 498 notantur. Inde

enim jure colligas, in longe plurimis legi procul hinc, procul inde puellae. Offendunt particulam hinc-inde, quum contrariae inter se sint, communiter ad haec limina, intra quae puer est relatae. Igitur Achaintrius ex duobus codd. Paris. procul ite puellae legi maluit, quum ea esset formula in sacris usitata (cf. ll, 89 „ite profanae“), praeterea autem inde glossam redoleret. Idem in litteris ad Rupertium datis Herellius proposuit, suspicatus vocem importunam inde ab indocto librario repositam esse, ut *τῶ* hinc responderet. Ita etiam Weberus p. 363 scripsit monente Wunderlichio in Obs. ad Tibull. p. 144. Nam „verba, ait, hinc et inde significant ab hac et ab illa parte. Rectius dici poterat, si metrum permitteret, procul hinc, procul hinc, ut apud Ov. Metam. VII, v. 255 „Hinc procul Aesonidem, procul hinc jubet ire ministros Et monet arcanis oculos remove profanos,“ et Silium Italicum XVII, v. 26 „Et procul hinc, moneo, procul hinc quaecunque profana.“ Vid. Brisson. de formulis l, p. 2. ed. 1732.“ Ad stabiliendam autem scripturam ite conferri voluit Statium Silv. III, 13: „adeste Dique hominesque sacris. Procul hinc, procul ite nocentes,“ eandemque postea Doederleinus in censura editionis Heinrichii (Münch. Gel. Anz. 1841 p. 1002) necessario requiri dixit. Tolerabilis tamen sit codicum lectio. Innui diversas aedium partes Rupertius l p. 268 dixit, sed neminem habebit consentientem. Ut largiar autem, dici non posse „fort von hier, fort von dort, ihr Mädchen,“ triplicem expediendi loci rationem offeram. Aut enim hinc causam exprimit, ita ut sensus oriatur „fort drum, fort von dort,“ aut tempus designat, ex quo puer intra limina est, „fort von nun an, fort von da, ihr Mädchen,“ aut, si opponuntur inter se hinc et inde, licet nulla intercedat copula ut intercessit I, 65. VIII, 105. 195. XIV, 12, immutata verborum junctura intelligi debent puellae hinc, puellae inde i. e. appropinquantes vel accurrentes. Locus huic nostro similis est supra v. 13 Barbatos licet admoveas mille inde magistros, Hinc totidem. Atqui durior est nostro loco structura, quum deficiat verbum, sed non aliena a Juvenalis ratione. Ceterum in tanta rei ambiguitate, quum vel fluctuent inter se doctorum de codicibus testimonia, nihil pro certo affirmare satius sit. — Admodum intricata sunt, quae infra leguntur v. 50—5 Nam si quid dignum censoris fecerit ira Quandoque et similem tibi se non corpore tantum Nec vultu dederit, morum quoque filius et qui Omnia deterius tua per vestigia peccet, Corripies. Sic hodie plurimi et legunt locum et distinguunt, at, vereor equidem, invito poeta. Bis differunt inter se libri MSS. Vulgati enim praebent quandoquidem vel quandoquidem et ac paullo infra et quum. Lectionem quandoquidem et . . . et quum, receptam ab Achaintrio l p. 498, restitutam nuper a Schmidio p. 68, Heinrichius II p. 478 vel maxime exagitavit; deteriore illa lectione corrumpi, ait, clarum ac distinctum sermonis nexum et depravari dictionem, contra quandoque convenire loco: „aliquo tempore, einmal.“ Sed mutanda erit sententiarum connexio ita, ut emendatione non opus sit. Enimvero ut taceam, particulam quandoque nusquam, quandoquidem saepius (I, 112. X, 146. XIII, 129) apud Nostrum reperiri, quum antecesserit si quid, non modo supervacaneum, sed etiam molestum est illud quandoque. Huc accedit quod, quum protasin nam si quid dignum censoris fecerit ira excipiat apodosis Corripies nimirum et castigabis acerbo Clamore, commode et dissolvantur et concludantur parenthesi, quae interposita sunt, nam sic clarior et dilucidior fit loci nexus. Hanc rationem si statuamus, non est, cur in particula quandoquidem haereamus, copulam et autem, quae in nonnullis libris reperitur e subsequenti et ortam esse suspicor. Facile concedo, tolerabilem esse particulam quandoque et, quum et . . . dederit una cum fecerit subjici queat particulam

si, sed cur praeferrī deberet, nullam adhuc prolatam vidi rationem idoneam. Immo magis etiam sic offendit, quod sequitur morum quoque filius. Apparet deesse hic copulam adversativam (non tantum nec: [sed] quoque), ut alibi in satiris; offendit tamen et genitivus morum et nominativus filius, nam expectaveris moribus, quod tamen metro excluditur, et filium antecedentibus similem non corpore tantum nec vultu convenienter. Quapropter haud scio an rectius legatur morum quoque filius sit et potuit sit facile corrumpi in et. Utrum in sequentibus qui ex Pithoeano scribamus an quum ex libris Vulgatis, vix differt: explicatur enim, quo sensu morum filius dicatur. Sic igitur et legendum erit et interpungendum: Nam si quid dignum censoris fecerit ira (Quandoquidem similem tibi se non corpore tantum nec vultu dederit, morum quoque filius sit, quum Omnia deterius tua per vestigia peccet): Corripies, ita ut morum quoque filius sit una cum antecedentibus subjiciatur particulae quandoquidem. Minus recte cum Achaintrio I p. 498 interiorē loci nexum Schmidtius p. 305 excussit laudatis locis VI, 458. Verg. Georg. I, 370. Servavit quidem Ribbeckius p. 89 Pithoeanam lectionem, eatenus tamen nobiscum consentit, quod et ipse verba quandoque et i. e. quando-cunque similem . . . peccet parenthesi inclusit. Ceterum nolim equidem cum eo post parabis signum interrogationis ponere propter particulam nimirum; cf. II, 104. VII, 78. X, 248. Sequitur tamen paullo infra quaestio (sed) unde; cf. I, 150. — Mendum mihi quidem deprehendere videor in Pithoeano, ubi veriorē praebere lectionem recentiores sibi persuaserunt, v. 206—8 Illa tuo sententia semper in ore Versetur, dis atque ipso Jove digna, poëtae: „Unde habeat quaerit nemo, sed oportet habere.“ Ennii poëtae id esse volunt; rectius affertur hic dictum tragici alicujus conjicias ex Seneca Ep. 105, ubi inter alias tragicorum sententias haec quoque legitur: „Non quare et unde: quid habeas tantum rogant.“ Sed quicumque ille fuit, certe poëtae hic legendum erit secundum codices Vulgatos; nam qui tandem Pithoeana lectio poëtae quadrat in contextum? De ipso Jove poëta vix quisquam cogitare ausit. Bis in hac satira eadem occurrit corruptela, v. 71 patriae pro patria, v. 216 nequitiae pro nequitia. Quidni nostro quoque loco agnoscamus corruptelam? — Dissentiens a recentioribus tolerabilem esse crediderim librorum lectionem v. 216—8 Parcendum est teneris; nondum implere medullas Naturae mala nequitiae. Quum pectere barbam Coeperit . . . Falsus erit testis. Si Jahnio p. 155 fidem habere licet, de lectione naturae Pithoeano convenit cum Vulgatis; maluerunt tamen praeter unum Achaintrium I p. 517 editores scribere maturae ac trahere ad vocem nequitiae. Sed medullas naturae licebit jungere et translato accipere sensu, ut „medullas populi Romani“ (Cic. Phil. I, 15) vel „litium“ (Quintil. II, 1 § 11). Ceterum habere, quo commendetur, juncturam maturae nequitiae, non est quod dissimulem. Post vocem nequitia in Pithoeanum irrepsit copula est ut III, 210. VIII, 125, quod recentiores nescivisse videntur, qui ideo nequitiae ast scripserunt; frequens tamen apud Juvenalem antitheton sine particula adversativa (II, 88—9. III, 121—22. 140. 178—80. 199. 210—12. 289. IV, 22. 35. 130. V, 39. 43—7. 50—2. 56. 98. 99—105. 107—12. 113. 146—7. 149—53. 156—7. 161. VI, 143. 191. 268—70. 324—26. VII, 111—13. 157. VIII, 68. 125. X, 22. 28—30. 71. XI, 1—2. 147. XIII, 141—2. 204. XV, 7—8. 12—13. 107. 115). — Multifariam dubitatur de versibus 267—9 tu, Corycia semper qui puppe moraris Atque habitas, coro semper tollendus et austro, Perditus ac vilis sacci mercator olentis...? Anceps est Corycius, quum non solum ad plures Joniae et Ciliciae urbes, sed etiam ad promontorium Cretae

(Plin. H. N. IV, 12) referri queat; ut autem olentis sacci causa Cilicem navem accipiamus, offendit antiquae Cretae mentio. Accedit insuper codicum discrepantia; nam alii, sique plurimi, perditus a Siculis habent, alii, in quibus Pithoeanus, perditus ac vilis. Illud cum priscis editoribus Achaintrius I p. 523 recepit, ita tamen, ut a Siculis ad sequentia traheret commate post perditus posito; accepisse autem videtur, quod Rupertius I p. 282 proposuit: „qui a Siculis saccum mercaris.“ Jure tamen haereas in verborum junctura mercator a Siculis, nam desunt ejus locutionis exempla. Porro equis putabit, Corycia nave usum fuisse, qui a Siculis crocum mercaretur ac Romam transportaret? Immo Corycia nave etiam crocum Corycium vectum esse, credibile est. Prolixe de hac re egit Weberus p. 373: „Corycius crocus nobilitate cessit nulli, quod quidem Plinii verbis H. N. XXI, 6 edocti scimus, eumque Romae maxime aestinatum fuisse poëtae confirmant: Mart. III, 65: „Quod de Corycio quae venit aura croco.“ XI, 9: „Ultima Corycio quae cadit aura croco.“ Hor. Sat. II, 4, 68: „Corycioque croco sparsum stetit.“ Lucret. II, 416: „Et cum scena croco Cilici perfusa recens est.“ Stat. Silv. V, 1, 213: „ver Arabum Cilicumque fluit.“ Maluit, quum de Siciliano croco hic sermo esse non posset, Schmidtius p. 321 sq. legere a Cilici, restat tamen structurae durities, nec probabile est id corrumpi potuisse in Siculis. Lectio perditus a Siculis sic demum, opinor, defendi poterit, si ablativum a Siculis subjiciamus participio perditus, ac mercatorem accipiamus sacci olentis, qui quum exhaustus esset a Siculis mercatoribus (certabat enim crocus Sicilianicus cum Cilici teste Statio Silv. V, 3, 41: „Sicilianii non mitius halat Aura croci“), jam aliarum rerum, passi ac lagonarum Cretensium mercaturam facit. Tutius tamen sit, cum recentioribus legere perditus ac vilis, praesertim quum aliquot libri Vulgati commune id habeant cum Pithoeano; sic V, 130 „perditus nauta.“ — V. 292—3 „solvite funem“ Frumenti dominus clamat piperisque coempti. Praeunte Achaintrio I p. 526 Schmidtius p. 85 e paucis libris coemptor scripsit, idque substantivum necessario edendum esse, non coempti, infra p. 324 sq. contendit. Sed mira profecto argumentatione utitur. Nam unum eundemque esse frumenti piperisque coempti et cogitari a poëta dominum patet, sive coempti legis, sive cum Schmidtio coemptor: igitur omnino sensus non mutatur; porro Indiam ipse poëta ne verbo quidem attingit. Ut autem concedam piper apud Indos nasci, nihil tamen impedit, quominus id condimentum petatum illinc terra marive ab aliis, coemptum dein a frumenti domino esse cogitemus. Nec praeterit Schmidtiū, simpliciter eum hic notari, qui his rebus emendis vendendisque quaestum faceret, minus tamen id placere propterea, quod, dum haec ipsa a poëta vituperata verba dicit, non quietus domi mercaretur, sed peregre proficisceretur. Sed quid hoc ad rem faciat, me non intelligere fateor. Nec, ut substantiva in tor finientia cum invidiae quadam specie dicantur (cf. VIII, 17. XIII, 154. XIV, 269. Hor. A. P. 249), contra codicum auctoritatem obtrudi debent textui. — Claudii periodum apostrophe poëtae v. 295—7 Infelix hac forsitan ipsa Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur Obrutus. Sic hodie legitur in omnibus libris, fluctuat tamen codicum lectio. Alii enim, nec pauci quidem, praebent infelix ac, quod in priscis editionibus servatum est. Ferri potest id quoque, sive infelix trahitur ad praecedentia, ut veteres voluere, sive, quod praestiterit, ad sequentia, nam rectius jungitur infelix cadet fluctuque premetur Obrutus, ita ut adjectivum cum emphasi anteponatur particulae ac; v. locum nostro satis similem III, 267 sq. at ille Jam sedet in ripa taetrumque novicius horret Porthmea, nec sperat coenosi gurgitis alnum Infelix, nec habet quem por-

rigat ore trientem, ubi tamen pro sententiarum nexu adjectivum pari jure in utramque partem referre licet. Facile autem demonstrativo caret ipsa nox. Alii libri MSS., sed pauciores, habent infelix at probante Achaintio I p. 526, nec diffiteor, particulam adversativam hujus loci esse ut loco laudato. Alii, ut videtur, cum Pithoeano commune habent demonstrativum hac, ac pariter X, 76; non tamen omitti debet, saepius ibi aspiratam falso verbis praefigi: III, 236 hraedarum. V, 42 hiaspis. VI, 550 harmenius. VIII, 170 histro. X, 21 harundinis. 327 he*ae. XI, 49 hostria. Similem ob causam de Pithoeana lectione cadit, servata illa a recentioribus, ambigere licet, quum alias quoque futurum pro praesenti occurrit, ut VII, 18 cogitur pro cogetur. Accedit quod subsequitur duplex futurum premetur et tenebit. Probe scio, passim in satiris jungi praesens cum futuro, id tamen plerumque ita fit, ut antecedit futurum, sequatur rethorica emphasi praesens, ut I, 155 sq. lucebit et deducit. II, 140 morientur et prodest.

Transgredimur nunc ad Satiram quintam decimam, quae initio quidem illudit, „qualia demens Aegyptus portenta colat,“ mox tamen ibidem non homicidas modo, verum etiam anthropophagos reperiri narrat. Abjudicatur ea a recentioribus quibusdam Juvenali, quod inconsiderate factum esse alibi a me demonstrabitur: hic vero pergam de singulis satirae locis secundum ordinem loqui, quo et legantur rectius et intelligantur poetae verba. Difficilis est locus v. 7 illic aeluros, hic piscem fluminis scil. venerantur. Habent omnes fere libri MSS. caeruleos, nec differt, quod in Pithoeano reperitur illic aeruleos. Nam hic ut alias excidisse litteram initialem, quippe quae una antecedentem vocem finiat, nemo non intelligit. Sollicitavit Vulgatam Heinsius, quod pluralem sequeretur singularis, et maluit legere caeruleum, ita ut ecthipsis (IX, 118 tum his) hic esset; jure tamen Rupertius I p. 347 judicavit „talia non sine necessitate obtrudenda esse poetae, praesertim quum leviore mutatione notori carminis consuli posset reponendo: Illic caeruleos, hic pisces fluminis.“ Accedit quod in sat magna codicum parte sic legitur. Sed non est, quod in numeri differentia haereamus: gravior est quaestio, num servari omnino queat Vulgata. Non defuere quidem inter recentiores, qui in codicum auctoritate acquiescerent; sed primum huic lectioni obstat, quod nusquam marinos pisces coluisse Aegyptii dicuntur: immo ubi piscium mentio fit, nusquam non diserte appellantur fluviales (Her. II, 72. Strabo XVII p. 812. Plut. Is. et Os. 72). Atqui fieri potuit in tanta numinum multitudine, ut colerentur marini quoque, nobis tamen nulli scriptorum loci relinquerentur, qui certo essent testimonio. Est tamen alterum idque majus impedimentum. Nam caeruleus simpliciter ita pro marinus dici posse, ut opponatur adjectivo fluvialis, vix arbitror. Vocatur quidem Neptunus apud Ovidium Met. I, 275 „caeruleus frater“, vocantur ibidem II, 8. Fast. III, 874 „caerlei dii“, quin etiam Fast. II, 112 „caerula puppis i. e. Meer-schiff“: sed additur fluviis id epitheton Tibull. I, 7, 14 Cydnus caeruleus. III, 4, 18 caeruleus amnis, pariter atque mari Sen. Hipp. 1160. Sic etiam Schillers noster in carmine illo notissimo v. 102 „Ans dem Schilfe des Stroms winket der bläulichte Gott.“ Ob hanc duplicem causam nos quoque a priori ratione recedentes aeluros i. e. feles, quas cultas fuisse ab Aegyptiis disertis scriptorum testimoniis probatur (v. Herod. II, 66 sqq.), cum Brodaeo Misc. VII, 2 veram esse lectionem statuimus; qui autem exstiterit corruptela, facile cognoscitur. Enimvero quum antitheton inde ab initio per oppositionem pronominis illic et hic indicaretur, fieri non potuit, quin de piscibus marinis hic cogitaretur. Aelurns autem, quippe Graecum idque rarius vocabulum (Gell. XX, 8. Hygin. Astron. II, 28), facile ignosci et corrumpi potuit. Emendaturo autem ultro quasi se

obtulit lectio caeruleos. Nec haereri debet in eo, quod opponuntur hic aeluri et piscis fluminis; enimvero non species tantum diversas unius ejusdemque generis confert poeta, sed consulto vel diversissima inter se animalia miscet, quo numinum in Aegypto cultorum multitudo ac varietas ostendatur. Similiter brevi ante v. 2 crocodilus et ibis comparantur. — Dixerat versu 13 licere apud Aegyptios carnibus humanis vesci ac memoraverat Ulixem tale facinus super coenam attonito narrantem Alcinoos. Exclamantem dein v. 16—18 facit unum ex auditoribus haec: „In mare nemo Hunc abicit, saeva dignum veraque Charybdi, Fingentem immanes Laestrygonas et Cyclopas?“ Praebent longe plurimi codices et Cyclopas, maluerunt tamen editores scribere atque, ut vitaretur versus spondaïcus. Scilicet modo corripit (cf. Ovid. Met. III, 305. XIV, 249. XV, 93. Verg. Cul. 331. Aen. III, 647), modo producit (cf. Verg. Aen. VIII, 440. Ovid. Met. XIII, 744. 756. XIV, 174) primam syllabam Cyclops. Obviam tamen illi eunt, ni egregie fallor, ipsius poetae consilio; is enim persaepe nec inconsulto quidem spondaïco utitur versu (vide I, 52. II, 145. III, 17. 49. 120. 273. IV, 53. 87. V, 38. VI, 71. 80. 246. 296. 429. 462. 620. VII, 211. VIII, 218. IX, 111. X, 88. 151. 304. 332. XI, 68. 71. 133. 138. XII, 117. 121. XIII, 191. XIV, 115. 165. 326. 329. XV, 36). Poetae mentem assecutus est Schurzfleischius p. 190 verbis postea ab Achaintio I p. 537 repetitis: „exprimitur grandis Cyclopum vastitas et moles quadrata versu spondaïco durum sonante“ idemque Schmidtio p. 334 placuit: „rei ipsi aptissimum putavi hunc numeri sonum, qui Juvenali satis est familiaris.“ Restituimus igitur lectionem et Cyclopas omnium fere codicum auctoritate firmatam. — Aliquis nondum ebrinus e Phaeacum numero, qui in domo Alcinoi et conviva erat et auditor Ulixi, circumscribitur paulo post v. 24—5 minimum qui De Corcyraea temetum duxerat urna. Refertur hic locus ab Hermanno „de codicibus Juvenalis recte existimandis p. 8“ inter eos, qui certo testimonio esse debeant, Vulgatae recensionem longe antecedere Pithoeanam. Habent enim omnes fere libri Vulgati ac priscae editiones deduxerat, contra usum loquendi et metrum. Nam neque corripit priores syllabas temetum nec unquam deducere i. e. aquam vel vinum de bibentibus; contra apud Horatium Od. I, 7, 22 „pocula ducere.“ III, 3, 34 „succos nectaris ducere.“ Unde autem fluxerit error, coniectura assequi licet; nimirum repetita est particula de e versus principio. Corruptam hic esse veram ac genuinam lectionem, nemo non videt; noli tamen, quod librariorum inscitiae vel negligentiae debetur, ipsi imputare recensionem Vulgatae. Voluit Schmidtius p. 93 in favorem Vulgatae lectionis mutata verborum collocatione et omissa praepositione de sic scribere: Temetum Corcyraea deduxerat urna. Bene ita metro quidem consultum est, sed remanet alterum impedimentum. Schraderi emendationem minimum temeti Rupertio I p. 289 probatam jure, ut jam Heinrichio II p. 501 visum est, impugnavit Heineckens p. 105. Ceterum quod hic miro quodam Vulgatorum librorum consensu factum est, ut simplex ducere mutaretur in compositum deducere, idem accidit correctori Pithoeano XI, 165: expectant, ubi spectant legendum est. Sed id tacere maluerunt adversarii quam aperte profiteri. — Contextus ratione non satis habita demonstrativi numerum perperam mutarunt editores v. 26 Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat. In Pithoei codice est hic, quod nemini placuit, in Vulgatis libris hoc, ex recentioribus uni Schmidtio p. 93 probatum, qui tamen singularem rationibus firmare omisit, reliqui omnes e nonnullis libris deterioris notae haec receperunt. Sed non loquitur hic poeta, ut illis persuasum fuisse videtur, de omnibus omnino, quae brevi ante v. 16—23 nova sane et mira enarrata sunt, sed e multis unum illud, si quid video, in animo habuit, quod ante v. 18 de imma-

nibus Laestrygonibus et Cyclopius dictum erat; scilicet ἀνδροποδάγοι illi erant. Id autem unum prorsus incredibile visum est Phaeacibus, ita ut singulari suus hic locus sit. — Sequitur ut de loco ancipiti agamus, ubi adeo manifestam esse Pithoeanae lectionis praestantiam Hermannus p. 8 vult, ut de servanda Vulgata vix cogitari queat. Ait Noster v. 44—6 Horrida sane Aegyptus, sed luxuria, quantum ipse notavi, Barbara famoso non cedit turba Canopo. Legitur hodie in omnibus fere editionibus, quae Pithoeani auctoritate firmatur turba. Fluctuasse tamen antiquitus lectionem scholion docet „Barbara. Alexandria (legere malim Arabica). Canopo. Latina ripa.“ E recentioribus unus tantum Schmidtius p. 94 restitit, qui servare lectionem ripa conaretur, in explicando tamen falsis vera miscuit. Primum de sensu Pithoeanae lectionis videamus. Habet autem barbara turba nescio quid incertum et vagum nec quadrat in loci contextum. Dixerat horridam sane esse Aegyptum, ita ut barbara turba nisi de omni gente Aegyptia accipi non possit. Nusquam tamen hoc intellectu dicitur turba, ne apud Nostrum quidem, ubi vulgari semper sensu stat (l. 96. III, 239. IV, 62. V, 21. VI, 196. 439. VII, 131. X, 73. XIII, 46. XIV, 167); nec aliter in nostra satira infra v. 61 rixans turba et v. 81 victrix turba dicitur. Huc accedit quod eximitur Canopus famosus, quum tamen Aegypto contineatur, et opponitur turbae barbarae. Cum igitur barbara turba cum tota Aegypto conciliari nequeat, interpretum alii, quo Aegypti ambitus arctioribus circumscriberetur finibus, eam partem, de qua hoc loco ageretur, intellexerunt: sed justo durior est haec ratio; alii emendando succurrere conati sunt. Sic Rupertius II p. 743 cum Schraderi et Marklandii Horrida sane Est Coptus non scripsit quidem, sed scribere maluit, quo barbara turba de gente Coptitarum sumi posset. At ne sic quidem excusatur hic turba, insuper etiam obstat librorum consensus. Sat aperte interpositio hic est; loquitur autem de Aegypto in universum. Quapropter barbara turba omnino non est hujus loci. Restat igitur, ut Vulgatam lectionem ripa sub examen vocemus visuri, num ea melius in contextum cadat. Bipartita autem erat vel habebatur Aegyptus, cum Nilo in duas partes divideretur, occidentalem vel Libycam et orientalem vel Arabicam. Illic per saeculorum decursum, ex quo Alexandria condita est, una cum Graecis et Romanis litteris moribusque cultus atque humanitas quodammodo inveteravit, ita ut discernere hic liceret et opponere ripam Arabicam ut barbaram occidentali ripae ut cultiori, ubi Canopus, Alexandriae suburbium, situs erat. Famosa autem haec urbs ob incredibilem luxuriam; unde supra VI, 84 Pharon Nilumque famosaque moenia Lagi, Prodigia et mores urbis damnante Canopo. Irrepsisse hic turbam e versu 81, non temere opinatus est Schmidtius p. 339 et comparavit barbaram ripam cum „Romana ripa“ apud Plinium Pan. 82, 4. Sita erat autem Coptus in orientali sive barbara parte Aegypti, ita ut conferri possit cum Canopo. — Vocantur saxa per humum quaesita, quibus inter se jaculantur rixantes, v. 64 domestica seditione Tela. Paulo obscurior, ne dicam contortior, est verborum junctura. In animo habuisse poetam dixeris „häusliche Aufrührswaffen“; trahitur tamen, quod seditionis videtur esse epitheton, ad Tela, nec ponitur genitivus, quem sine ulla metrica difficultate ponere licebat. Sed explicari, non immutari debet dictio poetica, nec offendunt nos quidem domestica Tela; scilicet sunt, quae domi adhibentur, non foris contra hostes extrinsecus irruentes. Adde quod firmatur lectio seditione omnium librorum MSS. etiam Pithoeani auctoritate. Maluerunt tamen editores plerique scribere seditioni; dativum autem non commodi esse volunt, sed adjectivo domestica subjungunt auctore scholiasta „domestica i. e. competentia, vicina furori“; similiter H. Valesius „correxerunt domestica seditioni Tela i. e. fami-

liaria, consueta, solita seditioni vel seditiosis.“ Quem deinde secutus est Rupertius II p. 745: „Tela seditioni domestica, familiaria et consueta vel propria: nisi epitheton, si sensum spectes, ad seditionem referendum est et seditioni doctius dictum pro seditionis, vel ita legendum.“ Sed desunt omnino ejus structurae exempla. Fluctuat Heinrichii II p. 506 interpretatio: „domestica seditioni i. e. ipsis domestica, consueta in seditione.“ Revocamus igitur ablativum seditione, qui duplicem admittit explicationem. Aut enim cum Achaintrio I p. 544 subaudienda erit praepositio in aut statuendus cum Schmidti p. 340 ablativus absolutus „στάσεως οὐσης“; rem in medio reliquit Orellius Ecl. P. L. p. 252 „i. e. in omni seditione; abl. abs. „quum seditio fit.“ Tales ablativi sunt comitiis, ludis, circensibus; vel latius patet ea loquendi ratio: Suet. Caes. II „qui proscriptione pecunias ex aerario acceperant“ sc. durante. Tac. Ann. III, 28 „dedit jura, quis pace et Principe uteremur“ cf. Zumpt. §. 534. Recte igitur nuper admodum a Ribbeckio p. 97 restituta est lectio seditione. — Ansam praebet, qui describitur saxorum ictus, Satirico carpendi more suo epicorum magniloquentiam, quippe qui lapides, supra quam credibile sit, ingentes heroum manibus jactatos fuisse cecinerint v. 65—7 nec hunc lapidem, qualis et Turnus et Ajax Vel quo Tydides percussit pondere coxam Aeneae. Pendet accusativus hunc lapidem ut v. 63 saxa ex verbo Incipiunt torquere, unde etiam ad sequentia supplendum erit torserunt. Sat multi codices offerunt quali se, quae in Jahnii editione Vulgata lectio fuisse dicitur. Improbabilem eam esse facile intelligitur, enivero non pugnarunt inter se Turnus et Ajax, ex quibus ille apud Vergilium, hic apud Homerum vocatur, nedum semet ipsi lapidibus percusserint. Porro desideratur verbum nec suppleri potest aut e praecedentibus aut ex sequentibus. Corruptam igitur esse genuinam lectionem cuiuslibet apertum est nec minus patet, unde exstiterit corruptio. Nam quum scripsisset poeta quales et vel qualis et, voluerunt illi non solum ob incitiam Turnum cum Ajace committere, ut infra Tydides cum Aenea committitur, sed etiam numerum relativi accommodare et antecedenti singulari hunc lapidem et subsequenti quo pondere. Littera s autem facile annecti potuit sequenti et, ita ut se mutaretur in sed. Quae autem vocem terminat littera t, postea facile elisa est, quum Turnus sequeretur. Haec omnia liquent et omitterem verba de iis facere, nisi ab Hermanno in programme laudato p. 8 hunc locum allatum esse viderem, quo deterioris notae recensio ostenderetur. Profecto autem talia mendosae scripturae exempla, quale hic unum in altera Vulgatorum librorum parteprehenditur, sextenties occurrunt in Pithoeano. — Interiore versuum 72—6 postquam, Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum Audet et infestis pugnam instaurare sagittis: Terga fuga celeri praestantibus omnibus, instant, Qui vicina colunt umbrosae Tentyra palmae nexum directum video esse ab Jahnio p. 162, qui postquam Subsidiis aucti jungit et subaudit sunt, in fine autem v. 74 majori signo incidit, ita ut in duas partes distrahatur periodus. Sed nobis quidem offensionem est, quod sine ulla particularum junctura v. 75 sequitur: desideratur enim tum vel jam vel tale quid, quum procedat oratio. Eo magis miror equidem, quod Ribbeckius p. 97 eam rationem adoptavit. Restituimus nos nunc vulgarem distinctionem sine probabili causa relictam, ita ut protasis ad sagittis pateat, apodosis vero a verbo Terga initium capiat. Postquam hic ut XII, 65 „postquam ducant“ cum praesenti jungitur. Jure Rupertii I p. 293 emendationem fugae sprevit Heinrichius II p. 506, qui laudatis Taciti verbis Agr. c. 37 „armatorum paucioribus terga praestare“ dativo fugae hic locum esse omnino negat, cum terga dare aut cum dativo hosti aut nude dicatur, fuga autem pro in fuga

accipit. Nec aliter Orellius p. 253: „fuga i. e. in fuga. — fugae satis ambigue.“ Ut autem ferri queat fugae, tamen quare codicibus obviam eamus, nihil est. Lectio Vulgata est praestantibus omnibus instant neque quidquam offensionis habet, nam cum irrisione (si quid video) narrat subito terrore, cum hostes ferro et sagittis invaderent, jam omnes fuga celeri terga dedisse, ita ut ne unus quidem fortiter resistere auderet. De Pithoeani lectione ob rasuram ambigitur. Reperunt tamen recentiores Mercerii ap. Salsasium Exerc. Plin. p. 441 correctionem praestant instantibus Ombis i. e. Ombitis. Durum id est, sed ut tolerabile sit, quid tandem proficit sententiarum connexio? Cur autem mutaverint illi, ex sequentibus apparebit. Nam quum hinc ad propiorem utique rem pertineat, lapsum autem esse et occisum unum e fugientibus, non e persequentibus pateat, offendit, quod proxime de instantibus Tentyritis sermo fuerat. Mutando igitur illi id efficere conati sunt, ut terga praestare dicerentur, qui brevi ante memorantur Tentyritae. Sed aliis de causis intolerabilem esse particulam hinc mox ostendetur. Interim Vulgatam praestantibus omnibus instant tenemus. — Transitus fit ad ipsam nefandi casus narrationem v. 77 Labitur hic quidam. Optime in contextum cadit hic, ut infra v. 84 Hic gaudere libet (cf. Hand. Turs. III p. 80): „da, nun, hiebei.“ Scripserunt tamen e Pithoeano longe plurimi hinc; sed qui tandem particula huc pertinet? Quo negligentiores fuere illi in explicando, eo intentius nobis nunc inquirendum erit. Ad tempus hinc omnino referri non posse, ita ut initium labendi significetur „von jetzt an,“ sponte intelligitur; nec causali sensu ad fugam celerem v. 75 pertinet, quum remotior ea sit, insuper etiam postponatur labendi causa nimia formidine cursum Praecipitans. Reliquum est igitur, ut jungatur hinc quidam idque junxisse videntur recentiores. Unus saltem Heinrichius II p. 506 diserte professus est: „hinc, ex his, ex hac parte, von der letzteren Seite“; quum autem hinc ad proxime antecedentes referri nequeat, quippe qui instant, non fugiant, temere interpretatus est „ex altera parte.“ At vero hinc non est illinc. Praeaventis alii, ut ante dictum est, mutando textu id efficere conati sunt, ut praecederent Tentyritae fugitivi, quo suus hic locus esset demonstrativo hinc. Restat tamen alterum idque majus etiam impedimentum. Enimvero ad personas non licet, credo, referre particulam. Atqui ait Terentius Ad. III, 3, 7 „sed eccum Syrum ire video. Hinc scibo jam, ubi siet“, sed diversa est illius loci ratio; potuit enim comicus pro ab hoc paullo contemptius dicere hinc i. e. „von daher.“ Jungi autem hinc quidam et verti „einer von diesen“, ut Bergius p. 302 vertit, grammatica ratio prorsus non patitur. Tenebimus igitur nos nunc particulam hic contextui unice convenientem. Restituit eam ante me Orellius p. 253: „si legas hinc, de Tentyrita aliquo intelligendum esset, quod absurdum est. Neque vero explicari potest hinc „propter fugam effusam;“ hic et hinc autem saepissime confunduntur.“ Prorsus ita XI, 159 hinc in Pithoeano pro hic, ibique recentiores tacite revocarunt Vulgatam. Quidni nostro loco? — V. 93 Vascones, ut fama est, alimentis talibus uti Produxere animas. Corripit Juvenalis, ut Prudentius *περιστροφαι*. I, 93 et Paulinus Nol. ad Auson. carm. X, 203, 212, 218 alteram vocis syllabam. Liberior in universum apud Nostrum nominum propriorum usus: sic v. 124 Britones. IV, 147 Getis; cf. VII, 15 Bithyni et X, 162 Bithyno. Igitur non opus est emendatione Rupertii I p. 294 Vascones, fama est. Utrum Vulgatam ut an ex Pithoeano haec legamus, vix quidquam differt; sed non est, cur olim scribamus cum recentioribus secundum Pithoeani auctoritatem. Nil enim offensionis habet Vulgata lectio usi, immo placet, quod circumscriptione quadam talibus alimentis animam produxisse dicun-

tur, qualia sunt hominum cadavera. Schmidtio p. 342 olim conjectura illatum videbatur, quum cariosa alicujus codicis vetustate oblitteratum esset verum usi. — V. 103—4 Quisnam hominum veniam dare quisve deorum Viribus abnuerit dira atque immania passis. Una omnium librorum MSS. lectio est viribus, nec emendatur, sed depravatur potius textus mutatione Valesii ventribus recentioribus probata. Scilicet ineptum sit, hic de ventribus dira atque immania passis loqui, praesertim quum sequatur enunciatio relativa quibus illorum poterant ignoscere manes, Quorum corporibus vescebantur; profecto enim nisi hominibus ignoscere manes nequeunt, nec corporibus vesci de ventribus praedicari poterit. Diversa ratio est loci infra v. 174 Pythagoras . . . ventri indulsit non omne legumen. Nec est, cur abnueret legamus cum iisdem; nam perfectum abnuerit hujus loci est. Facile concedo imperfectum ferri posse; fluctuat tamen scriptura Pithoeani etiam in verbalibus formis, sic V, 21 peregeret pro peregerit. — V. 140—3 quis enim bonus . . . Ulla aliena sibi credat mala? separata hoc nos A grege mutorum. Queritur hic quis credat ut XVI, 1 quis numerare queat; probabilis quidem, sed non potior habenda est Pithoeana lectio credit a recentioribus recepta, et suspicari licet mendose hic scribi credit ut VIII, 91 mandat. Discedens a reliquis Schmidtius e paucioribus libris haec in textum recepit; femininum quo referretur, non intellexisse contendit p. 347 librarios indeque, quod cuius statim in mentem veniret, hoc indaxisse; pertinere autem haec ad optimam illam sensus nostri partem versu 133 nominatam, quamquam „non eleganter id a Juvenale factum esse“ ingenue profitetur. Vetat tamen, quominus haec illuc referatur, nimium quod distat intervallum, nec est, cur in neutro hoc haereamus. — Contenti fuisse coquendis rudioribus instrumentis, qualia sunt rastra et sarcula, marrae et vomeres, nescivisse dicuntur primi fabri v. 168 gladios extundere. Variat lectio; in aliis enim codicibus licet paucioribus reperitur excudere, quod arrisit Servio ad Verg. Georg. II, 539 nec id immerito, nam excudere de artificioso labore apud Verg. Aen. VI, 848: „Excudent alii spirantia mollia aera.“ Alii, in quibus Pithoeanus, habent extendere, quod receptum video a recentioribus, licet nusquam alias, quantum scio, de fabri arte usurpetur. Sed ut ferri queat, nam extenduntur in longitudinem gladii a fabricatore, tamen cur a Vulgata deficiam, nihil est; immo habet ea, cur praeferatur. Proprium enim de fabri arte extundere, quod plurimis firmatur codicibus, idque eo magis huc quadrat, quod opponitur villiori verbo coquere; est enim extundere „mühsam hervorbringen“ (Ramshorn Syn. T. I p. 405), et artificis potissimum fabricationem significat; Verg. Georg. I, 133: „Ut varias usus meditando extunderet artes Paullatim.“ — V. 169—71 Aspicimus populos, quorum non sufficit irae Occidiase aliquem, sed pectora, brachia, vultum Crediderint genus esse cibi. Annotavit Heinrichius II p. 514 „crediderint „glauben wohl gar,“ possunt credere, ein modus potentialis.“ Obloquitur ei Doederleinus Münch. G. A. 1841 p. 1003: „Nach unserm Gefühl enthält dieser Modus eine Meiosis, welche dem Geist und Zweck der ganzen Satire schnurstracks entgegen ist. Die Aegyptier hatten wirklich und factisch (nach Inhalt der Satire) ein Beispiel von Menschenfresserei gegeben, daher es v. 13 von ihnen heisst: carnibus humanis vesci licet, ganz assertorisch. Was mochte den Dichter wohl bewegen, diesen Gedanken am Schluss, im resumé, welches doch besonders die Kraft liebt, bloss problematisch auszusprechen? Es muss offenbar crediderint heissen.“ Sed non satis acriter percepit summus ille vir dictionis formam ac rationem. Enimvero non substitit poeta in eo, ut repeteret tantum, quae supra v. 13 dicta erant, nec

loqui in universum pergit de carnibus humanis, quibus vesci liceat, sed gradatione quadam suis singula corporis membra enumerat, velut pectora, brachia, vultus, eaque genus esse cibi ait i. e. inter alimenta recenset, quae quotidianae vitae usus ferat. Huic gradationi autem respondet conjunctivus, ut taceam desiderari apud Nostrum talis correptionis exempla, quale est crediderunt brevi penultima.

Absolvimus, quod nobis propositum fuit: jam redeamus, unde profecti sumus. „Exemplaria Graeca“ ut nocturna versarent manu, versarent diurna, populares suos olim adhortatum est Venusini os veridicum A. P. 268: Romanorum vatum scripta tamquam eloquii fontes cognoscere ne lassaremuri noster nos monuit praeceptor Germaniae, licet improbasse quodammodo et refugisse satirograph, Romani vehementiam effrenatamque castigandi libidinem Melanchthonis „mite ingenium“ haud negaverim. Haec igitur sit puerorum a teneris cura; „hoc agite, o juvenes!“ Juv. Sat. VII, 20.